

QUAESTIONUM OECONOMICARUM SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

UNIVERSITATIS REGIAE BAVARICAE

FRIDERICO-ALEXANDRINAE ERLANGENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT

MAXIMILIANUS HODERMANN

WALTERSHUSANUS.

EXAMEN RIGOROSUM A. D. XI KAL. SEXT. H. A. SUPERAVIT.

BEROLINI

APUD S. CALVARY & CO.

1898.

Philosophi Graeci omnia scitu digna accurate et penitus pernoscenda esse rati, cum non solum in perscrutandis rebus divinis plurimum operae studiique consumerent, sed etiam in indagandis rebus humanis omnem cogitationem et animum totum defixum haberent, fieri non potuit, ut ea ars a discendi studio et sublimitate et intentione meditandi aliena esset, qua oeconomia sive rei domesticae administratio[1]) continetur. Quae ars cum circa rem domesticam sive familiarem universam et parandam et disponendam et servandam versetur, notionem eius multo ampliorem esse quam hodierni nominis vim pravo more orti, utpote solam rem rusticam respicientis et partem dumtaxat aliquam oeconomiae universae et quasi adminiculum significantis, nemo est, quin intellegat[2]).

[1]) Cui notioni quae subsit vis, ne res omnibus notas tradam, retractare supersedeo; satis habeo delegavisse ad ea, quae praeter Stephanum s. v. *οἰκονομικός* egregie et erudite observaverunt Baumstarkius in encyclop. Pauliana (V, 872) atque Schoemannus op. acad. III, 233 sq.; praeterea de hac re nuper disputavit G. Vogel, cuius viri docti commentatio „die ökonomik des Xenophon" (Erlang. 1895), quamquam confecto iam opusculo in manus mihi venit, tamen, cum argumenti ratio postulabat, a me non est neglecta. Subtilissimam de ratione marito cum uxore intercedente disputationem L. Schmidtius hist. philos. mor. Graecorum II p. 133—219 instituit, postquam qua condicione mulieres Athenis uterentur, uberrime sagacissimeque Beckerus in Charicle III p 250 sq. explicavit; conf. etiam Bernhardy, hist. litt. Gr. 1, (3) 48 sq.; denuo qui de hoc argumento egit Th. Matthias in commentatione „zur stellung der griechischen frau in der klassischen zeit" p. 5 sq. (progr. gymn. real. Zittaviensis 1893) et in supplemento eius „urteile griechischer prosaiker über die stellung der griechischen frau" Fleckeiseni annal. philolol. vol. 147 (1893) p. 261 sq. inserto, matrimonio nullam vitae societatem iucundiorem aut sanctiorem a Graecis existimatam esse ingeniose probavit.

[2]) Conf. quae de hac re disputavit Schoemannus op. ac. III, 234, quibus addere liceat non solum a Xenophonte, quem plurimum esse in laude rei rusticae celebranda constat, sed etiam ab Aristotele Pol. 1299 a 23 adiectivo „*οἰκονομικός*" eam notionem subiectam esse, ut abusus hodiernus aliqua ex parte possit excusari.

Quae philosophiae pars cum aliis de causis tum propterea maximi momenti est, quia omnis bene ordinatae civitatis principium, *τῆς πασῶν* (*κοινωνιῶν*), ut Aristotelis (Pol. 1252 a 5) verbis utar, *κυριωτάτης καὶ πάσας περιεχούσης τὰς ἄλλας*, iusta rei domesticae dispositio existimanda est, e qua optimam pendere publicarum privatarumque rerum condicionem inter omnes constat. Accedit, quod, quamdiu florebant res Graecorum, oeconomia auctoritate publica dirigebatur ad commoda civitatis universae; quo factum est, ut haec disciplina cum ea philosophiae parte artissime cohaereret, quae qua ratione homines singuli bonam ac perfectam efficiant civitatem, docet.

Cui arti quantum dignitatis homines Graeci tribuerint, mos, eorum appellationibus a stirpibus *οἰκο* — *νομ* — derivatis nominibus propriis utendi testis est optimus; cuius moris exempla e corpore inscr. Graec. affero haec[3]: *Οἰκονομία* (III, 5955), *Οἰκονομικός* (IV, 7109), *Οἰκονόμος* (III, 4105).

Cum vero pro ingenii indole sectaeque placitis alii philosophi aliter mente sua informaverint, quid de artis oeconomicae natura atque vi iudicandum sit[4]), usque ad primordia penetrans et quasi ab incunabulis philosophiae Graecorum proficiscens, quae ratio inter volumina Graeca ad artem oeconomicam spectantia intercedat, ostendam et pro virium mearum modulo probare conabor.

Artis oeconomicae omniumque fere artium et litterarum initia atque semina a poetis repetenda esse sicut neminem fugere potest, ita inter poetas ipso Homero, apud quem cum propter aetatis rationem tum magis etiam propter ipsum carminum consilium vix tenuia quaedam primordia ethicae disciplinae inveniuntur, graviorem de antiquissimis morum rationibus testem Hesiodum praedicandum esse ex eo maxime carmine

---

[3]) Indice nominum propriorum post Papium a Benselero recognito (Brunsvigae 1863—70) de hac re monitus sum; vide etiam Fickium „die griechischen personennamen nach ihrer bedeutung erklärt“ (Gottingae 1894) ed. II. p. 130 s. voce: *Ϝοικ.*

[4]) Conf. Philodem. *περὶ κακιῶν* lib. IX col. XII (p. 49, 17 Goettling.): *οὐδὲν διαφερόμενοι πρὸς τοὺς ἕτερα τοῖς ὀνόμασιν ὑποτάττειν προαιρουμένοις.*

perspicitur, quod inscribitur Opera et dies[5]). Quo carmine cum poeta Ascraeus id sibi proposuerit, ut Persam, fratrem *μέγα νήπιον,* a pravitate atque iniustitia ad industriam sedulumque laborem revocet (v. 299 sq., 381 sq.), oeconomiam universam respiciens et domesticam rem et rusticam (v. 383—617), quae ratio a Xenophontea non est aliena, quid sit *οἰκονόμῳ* expetendum, quid fugiendum praecipit[6]). Neque singulas solum rei familiaris partes distincte illustrat, cum de mariti officiis variis multiplicibusque (v. 405 sq.), de uxore et eligenda (v. 373, 405, 695—705, 790 sq.) et rei domesticae muneribus initianda, de subole procreanda (v. 376) atque educanda (v. 750—754), de servis liberaliter tractandis (v. 607 sq.) et ad vitam laboriosam ipsius patris familias exemplo accendendis (v. 458 sq., 502 sq., 573 sq.) praecepta ea det, quae ingenii prudentis animaeque candidae testimonium exhibeant, sed etiam earum virtutum primariarum, ut ita dicam, laudator exstat, quibus solida rei privatae administratio nitatur. Atque iustitiam quidem ut custodiat, iniustitiam devitet, vel maxime fratrem, quantum in eo est, admonet (v. 213 sq., 274 sq., 361 sq.); deinde ad laboris cupiditatem rationibus quaecunque afferri possunt omnibus cumulatis eum inflammat (v. 299 sq.), tum quae erga deos (v. 336 sq., 706 sq.) et parentes (v. 188 sq., 331 sq.) tuenda sint officia, praecipit, denique, ut singula omittam, viam mediocritatis auream ei monstrat (v. 308, 694, 720); quae virtutes quanti sint momenti in rei familiaris cura et administratione suscipienda et gerenda testimoniis eorum auctorum infra accuratius comprobaturi sumus, qui rationes artis oeconomicae universas in disciplinae formam quandam redegerunt.

Haud secus atque de carmine Hesiodeo, antiquissima philosophiae practicae argumenta continente, de eis praeceptis ethicis

---

[5]) Conf. Bender, morum doctrinae apud Hesiodum initia (Bonn 1840) p. 2 sq., Bernhardy, hist. litt. Gr. I, 336 sq., II. 1, 286 sq. (ed. 3), Vogel. l. c. p. 10—12.

[6]) Artioribus quam par est finibus oeconomica praecepta circumscribi volunt Goettlingius ed. 1. praef. p. XVIII et qui eiusdem viri docti sententiam verbis paululum mutatis repetiit Flachius ed. 3 praef. XXXIII sq.

iudicandum est, quae lyrici saec. VII et VI vates, et elegiaci et iambographi — gnomicum genus a more poëtarum priscae illius aetatis abhorret[7]) — carminibus suis inseruerunt[8]). Quae ratio quo facilius appareat, Archilochi, Simonidis Amorgini, Mimnermi, Solonis, Theognidis, Phocylidis, Hipponactis sententias eas, quae huc referendae sunt, singularum domus partium ratione habita, et hominum et rei familiaris, ut ea divisione utar, quam statuit Aristoteles Pol. 1252^{a} 17 sq., 1252^{b} 10 sq., brevi in conspectu proponam.

Ac primum quidem ad mariti et uxoris societatem naturalem quod attinet, non solum quo tempore matrimonium ineundum sit (Sol. fr. 27, 9)[9]), sed etiam quid potissimum in eligenda uxore sit spectandum, discimus (Theogn. v. 457, 581 sq.); tum rei domesticae administrationem iustitia, quippe qua servata universa hominum societas contineatur[10]), temperantia et moderatione[11]), pietate erga deos et parentes[12]), studio laboris[13]), virtutibus marito aeque atque uxori exercendis niti unanimo fere omnium consensu confirmatur. Uxoris deinde officia atque munera quanti sint momenti in dispensanda re familiari, ex eo intellegitur, quod industria matris familias bonae, qua nullum a deis maius beneficium in maritum conferri possit (Theog. v. 1225), cum apium sedulitate comparata eximiis laudibus effertur[14]). Rerum denique earum, quae necessariae sint ad rem familiarem et sustentandam et augendam, nullam agro, utpote quae potissima eius pars sit, utiliorem esse Phocyli-

---

[7]) Vide Schneidewin, delect. poët. eleg. Graec. p. 48, Bernhardy, hist. litt. Gr. II. 1, 471 (ed. 3).

[8]) Conf. Vogel. l. c. p. 12—14.

[9]) Numeri sunt fragm. et vers. Bergkii poët. lyr. Graec. edit. quartae.

[10]) Mimn. fr. 7; Sol. fr. 4, 7 sq., 31 sq. fr. 13, 7, Theogn. v. 145 sq., 197 sq., 793 sq. (conf. Hes. op. 358, 361 sq.), Phocyl. fr. 17.

[11]) Theogn. v. 219, 220; 335 sq., 693, 694, 920 sq., 1137 sq., 1155 sq., Phocyl. fr. 12.

[12]) Theogn. v. 131, 145 sq., 171, 821 — componas cum hoc versu Hom. Iliad. IV, 478, XVII, 302 et Hes. op. 185 —, 1211 sq.

[13]) Archil. fr. 15.

[14]) Simonid. Amorg. fr. 6, fr. 7,83, quocum conf. Hesiod. op. 373 sq. et 702 sq., Phocyl. fr. 3, Hippon. fr. 72.

des[15]) auctor est, quam sententiam quae respiciatur dignam esse puto, quoniam cum ratione Xenophontea[16]) prorsus congrua est.

Sed pauca exempla satis est attulisse, quibus, ad quos fontes philosophorum principes ipsi in arte oeconomica versati saepissime redierint, demonstretur; plura enim huius praefationis terminos longe excedunt[17]).

Transitu igitur a primis apud Hesiodum artis oeconomicae vestigiis ad posteriorum temporum magis philosophicam demonstrationem significato nunciam, quantum lucri huic arti sophistarum studia tulerint, videamus, quos ad aetatis suae disciplinam, mores, ingenium immutanda maximam vim habuisse res est certissima[18]). Qui eloquentiae et reipublicae administrandae magistri, cum id ante omnia agerent, ut discipulos, quos ad sapientiae suae thesauros admitterent, ad vitam prudentius agendam excitarent earumque rerum peritos redderent, quarum cognitione, qui cum in publica tum in domestica re augenda versatus fieri studeat (Plat. Gorgias 520 E), *τῆς ἀνθρωπίνης* videlicet *ἀρετῆς καὶ πολιτικῆς* (Plat. apol. 20 B), nullo modo carere possit, facere non potuerunt, quin ad artis oeconomicae rationes, cum domus quasi civitas minor sit intra maiorem, penitus pernoscendas tota mente intentionem dirigerent[19]).

Iam vero quae ad sophistarum studia oeconomica revo-

---

[15]) fr. 7.

[16]) Oec. V, 1 sq., VI, 8 sq.

[17]) Quod sententiae septem eorum, qui honorifico aequalium testimonio sapientes vocitati sunt, vulgi ore tritae (conf. Orelli. opusc. Graec. vet. sent. et moral. I. p. 138 sq., Mullach. fragm. phil. Graec. I. p. 212 sq.) silentio praeteritae sunt, consulto factum est, cum a re nobis proposita admodum alienae mihi videantur esse. Similis in Democriti fragmentis ratio est, a quo philosopho rem oeconomicam perquam breviter perstrictam esse ipse Vogelius l. c. p. 17 concedit.

[18]) Conf. Vogel l. c. p. 19—24.

[19]) Conf. Struempell, hist. philos. pract. p. 28, et Joël., der echte und der Xenophontische Socrates (Berolin. 1893) p. 318.

canda esse mihi videantur e veterum testimoniis petita, quae non ignoro quam sint pauca, proponam[20]).

Atque Protagoras quidem Abderita, sophistarum princeps, ut impugnaret Hippiae aemuli rationem, primus *πολιτικῆς τέχνης* teste Platone (Protag. 318 E) doctorem se professus est, cum mores se emendaturum easque artes se traditurum esse pro certo polliceretur, e quibus plurimum fructus ad vitae usum redundaret: *τὸ δὲ μάθημά ἐστιν*, ait, *εὐβουλία περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν.*

Cui officio ut satisfaciat, cum alii in aliis studiis versentur, iustitiae inter omnes communitatem esse vult, quam generi humano universo Iovis ipsius iussu a Mercurio allatam esse profitetur (Protag. 322 C.), eos, qui omnis pudoris et iustitiae expertes sint, tamquam pestem civitatis morte multandos esse censens; quae virtus quanti momenti sit in re domestica administranda, ipse Xenophon Oec. IX, 13, XI, 22 testis est.

Sed fragmenta[21]) librorum a Protagora conscriptorum tam pauca tamque levidensia sunt, ut qualia eius fuerint placita oeconomica, incompertum habeamus.

Neque dissimilem Gorgiae Leontini, philosophi et artis rhetoricae et reipublicae gerendae scientissimi, de arte oeconomica fuisse sententiam ex eis apparet, quae idem Plato hunc philosophum docentem facit, cum dicit (Men. 71 E.) nihil earum rerum, quas in viris inesse oporteat, ei deesse debere, qui idoneus fieri velit *τὰ τῆς πόλεως πράττειν καὶ* (*πράττων*) *τοὺς μὲν*

---

[20]) Dictis sophistarum et fragmentis a Mullachio fr. phil. Gr. vol. II. p. 130—146 collectis subiungam, quae e dialogis Platonis, cuius testis Mullachius minus quam par est rationem habuit, subiungenda mihi videntur, quamvis saepe difficile sit sophistarum verba a Platonis facetiis, quibus illa perstrinxit, distinguere.

[21]) E titulorum, quos Laertius Diogenes IX, 55 servavit, indice quadamtenus conicere licet ad Protagorae oeconomica studia referendas esse has fere commentationes: *περὶ μαθημάτων, περὶ ἀρετῶν, περὶ πολιτείας, περὶ τῶν οὐκ ὀρθῶς τοῖς ἀνθρώποις πραττομένων, προστακτικός;* certi quicquam de hac re vix statuere licet.

φίλους εὖ ποιεῖν, τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς[22]); ad uxoris autem condicionem quod attinet, quam honorificis verbis prosequitur, virtutem eius in administranda domo cerni ei placet: *δεῖ αὐτὴν τὴν οἰκίαν εὖ οἰκεῖν, σώζουσάν τε τὰ ἔνδον καὶ κατήκοον οὖσαν τοῦ ἀνδρός*[23]); denique afferre iuvat venustam eius de mulieribus sententiam, quarum non formam sed famam vult multis esse notam, a Plutarcho mulier. virtut. (init.) (vol. II p. 198 ed. Bernardakis) servatam.

Neque alieno tempore Prodici Cei, Protagorae auditoris, mihi in mentem venit, quem inter sophistas unum omnium maxime moralem philosophiam professum esse constat. Cuius philosophi, quem agriculturae laudatorem exstitisse probe scimus (Ps.-Plat. Axioch. 368 C.), quamquam aetatem non tulerunt scripta, tamen artem oeconomicam ab eo non alienam fuisse haud scio an colligas cum ex reip. Plat. loco (600 C.), e quo rei domesticae administrationem Prodicum aeque atque Protagoram non sine gloria docuisse liquide apparet, tum e copiosa illa de divitiarum usu disputatione in Ps.-Platonis Eryxia 397 E; quo loco postquam rem familiarem in bonorum numerum referendam esse negavit, nisi quis recte ea uti didicerit, probis et honestis hominibus eisque, qui sciant, quem ad finem divitiae adhibendae sint, opes emolumento esse affirmat, improbis et qua ratione eis utendum sit ignorantibus detrimento. Cuius sententiae mentionem facere ideo iuvat, quoniam Xenophontem, quem e scholis philosophi Cei multum utilitatis percepisse constat, eam sibi vindicare (Oec. I, 10 sq.) infra videbimus[24]). Ceteroquin celeberrimae illius de Hercule prope bivium sedente fabulae argumentum, quam Xenophon e Prodici libro, qui „*ὧραι*" inscribitur, petitam Memorabilibus (lib. II c. 1 § 21—34) inseruit, cuius fictionis apud Graecos fundus locus Hesiodi op. 284—290 videtur fuisse, ab artis

---

22) Conf. etiam ibid. 91 A; in eandem fere sententiam Xenoph. Oec. XI, 10.

23) Similia exhibet Xenoph. Oec. VII, 3, 25; IX, 1 sq.

24) Vide huius dissert. p. 14 sq.

oeconomicae ratione non alienum esse non est, quod hoc loco uberius demonstretur[25].

Sed quamquam Platonis ipsius testimonio (l. c.) comprobatur sophistarum antistites, Protagoram praeter ceteros et Prodicum, plurimum auctoritatis ad animos adulescentium doctrina civili excolendos habuisse, tamen cum omnia se nosse ac de qualicunque argumento se disserere posse artis sophisticae doctores confiderent[26], singulas huius disciplinae partes nisi levissime non tractatas ab eis esse qui iudicet, a vero non ita abhorrere mihi videtur.

Vestigia sophistarum quodammodo Socrates persecutus esse existimandus est, quem dialecticae arti perficiendae summam manum imposuisse nemo est, qui nesciat. Quid de arte oeconomica iudicaverit vir sapientissimus, quem primum in urbibus collocavisse philosophiam et in domos etiam introduxisse ait Cicero (Tusc. disp. V, 4, 10), quamquam Xenophontem sua nonnunquam Socrati imputavisse maioremque partem ex Antisthenis Cynici doctrina pendere Joëlius l. c. p. 420, 488, argumentis gravibus allatis evincere studuit[27], tamen quodammodo ex eis cognoscere licet, quae Xenophon cum in Memorabilibus[28] tum in Oeconomico eum disputantem facit. Quatenus verba Socrati a Xenophonte tributa Socratis veri habenda sint, Hildebrandius in commentatione, quae inscribitur: „Xenophontis et Aristotelis de oeconomia publica doctrinae illustrantur“ (Marburg. 1845) part. I p. 25 ita diiudicat, ut in libris post Memorabilia conscriptis Xenophontem suam sententiam magistro pronuntiandam tribuisse contendat[29]. Quae cum ita sint, ne eadem repetam, in aliud tempus hanc rem reservo[30]. Id unum quidem

---

[25]) Conf. ea potissimum Virtutis verba, quae ad laborem studiumque spectant (§ 28) cum Xenoph. Oec. VII, 26, IX, 14 sq., XI, 8 sq., XII, 18, XX, 4, 22.

[26]) Conf. Plat. Gorg. 447 C., Hipp. min. 368 B.

[27]) Non idem de hac re Vogelius l. c. p. 35 sq. sentit.

[28]) Conf. locos a Vogelio l. c. p. 25 sq. allatos.

[29]) Conf. etiam R. Hirzel., der dialog (Lips. 1895) p. 147 sq., et Vogel. l. c. p. 24 sq.

[30]) Conf. huius dissert. p. 14.

hoc loco satis habeo commemoravisse, quod ad mulieris condicionem fortunamque attinet, Socratem et naturam eius et virtutem, sicut Plato refert (Tim. 18 C.), eandem esse atque viri sine ulla morum differentia uxoremque probam *εἰς τὸ συναύξειν τοὺς οἴκους* non minoris utilitatis esse quam virum censuisse (Menon. 72)[31]).

Apud Socraticos autem quanti ponderis rerum domesticarum cura fuerit cum aliorum tum Antisthenis, Cynicae sectae conditoris, *τῶν λεγομένων Σωκρατικῶν κορυφαιοτάτου* (Laert. Diog. II, 47) exemplo evidenter confirmatur.

Inter scripta philosophi Socratis praeceptoris vestigia fideliter persecuti, quorum numerum permagnum fuisse e Laertii Diog. indice (VI, 15 sq.) apparet, libellus ferebatur, cui erat titulus *οἰκονομικός*[32]). Quod argumentum quemadmodum tractaverit Antisthenes, cum neque libellus ille aetatem tulerit neque fragmenta exstent ulla, coniectura tantum quadamtenus assequi possumus.

Placita autem Antisthenis ad moralem philosophiam in universum spectantia, quae Xenophon, quem consuetudine eius delectatum esse signo est expressa in Memorabilibus atque in Convivio imago, Laertius Diogenes, Stobaeus, alii servaverunt[33]), quicunque cum praeceptis a Socrate traditis subtilius comparaverit[34]), facile sibi persuadebit Anthisthenem iure in numero discipulorum eius haberi fidelissimorum, cum et familiaritatem eius summo studio amplexus sit et ad exemplum eius ita se

---

[31]) Conf. etiam Xenoph. Oecon. III, 15, Conviv. II. 9, 10, Aristot. Polit. 1260ᵃ 21 sq.

[32]) Conf. Joël. l. c. p. 389; quomodo unus idemque liber 'de victoria' duplici inscriptione appellari potuerit 'Oeconomicus', id quod Muellerust de Antisthenis Cynici vita et scriptis (Dresd. 1860) p. 48 se non videre suo iure confessus est, neque Nordenius (Fleckeisen. annal. supplem. XIX, p. 368 not. 1) verbis, quae leguntur initio Oeconomici q. d. Ps.-Aristot. alterius (1345ᵇ 12 sq.), citatis neque Vogelius l. c. p. 37 not. 2 mihi videntur comprobavisse; equidem cum Winkelmanno, Antisth. fragm. (Turici 1842) p. 12, et Muellero l. c. verba *περὶ νίκης* corrupta et in vocabulo *νίκης* mendum latere suspicor.

[33]) Vide Mullach. l. c. vol II p. 274 sq.

[34]) Comparare iuvat verba Laert. Diogen. VI, 11 cum Xenoph. Mem. II, 2, 4; vide etiam Zeller. hist. phil. Graec. II. 1, (3), 139.

finxerit, ut a moribus eius, ne eo quidem iudicio, quod fecit de matrimonio, excepto[35]), non longe recesserit. Quid? quod virtutes eae, quae Socraticorum quidem iudicio cardinales existimantur et oeconomo bono Xenophonte teste a praeceptore iterum atque iterum commendantur[36]), ab Antisthene quoque quae expetantur dignae habentur, id quod e conspectu voluminum a Laertio Diog. enarratorum facile perspicitur. Quod sectae Cynicae conditor eandem viri et mulieris virtutem esse ait (Laert. Diog. VI, 12), sententia eius comparari potest cum Socratis iudicio, quod Xenophon memoriae prodit Oec. III, 15; eiusdemque doctrinae vestigia facile deprehendet, qui id, quod Antisthenes de divitiarum natura atque usu iudicat, externas res contemnendas verasque divitias in animo quaerendas esse ratus (Xenoph. Conviv. III, 8, IV, 34 sq.), cum verbis ipsius Socratis ab eodem auctore initio Oeconomici (c. I. 7 sq., II, 2 sq.) relatis contulerit. Quamquam igitur ea est fragmentorum condicio, ut quale fuerit Antisthenis de oeconomia volumen pro certo affirmare non possimus[37]), tamen ex eis, quae de ratione Antisthenica explicavi, suspicari licet eum Socratis vestigia secutum simili atque illum modo arti oeconomicae tractandae atque illustrandae operam dedisse.

Neque vero quisquam inter Socraticae disciplinae alumnos de arte oeconomica vita aeque ac litteris persequenda melius meruisse putandus est quam Xenophon.

Qui utrum cogitando assecutus sit, quanta quamque divina Socratis fuerit sapientia necne[38]), diiudicare ad nos nihil attinet, cum non de philosophicis sed de oeconomicis eius studiis disputare nobis in animo sit. Quorum studiorum quales inde a primordiis artis sint progressus, quisquis incorrupto iudicio secum reputaverit, Xenophonti palmam dare non dubitabit, Oeconomici auctori, libri antiquissimi oratione pedestri

[35]) Conf. Mem. III, 11, 17, Conviv. IV, 44.

[36]) Vide huius dissert. p. 16 sq.

[37]) Quamobrem etiam ea, quae Joëlius l. c. p. 389 coniecit, in mera coniectura posita esse nobis persuasum est.

[38]) Conf. de hac re Zeller l. c. II. 1, 200 sq. et Richter, studia Xenophont. (Fleckeis. annal. suppl. XIX (1893) p. 152.

de hac arte conscripti[39]) neque indigni, de quo accuratius disseramus, quippe quod quasi totius inquisitionis fundamentum sit.

Ac primum quidem, quod ad formam dialogi attinet, Oeconomicus quasi genus quoddam catechismi, ut Hildebrandii (l. c. p. 6) verbis utar, existimandum est sive, quae est Struempellii sententia (l. c. p. 468), ars, qua praecepta oeconomica a scriptore rerum intelligentissimo traduntur; quibus in enarrandis eum ordinem auctor libelli sequitur, ut prooemium generale (c 1—6), quo colloquii Socratis cum Critobulo instituti[40]) id, quod explicandum auctor sibi proposuit argumentum, breviter tangentis et in universum illustrantis mentio fit, disputatio specialis Ischomacho colloquii duce excipiat in duas partes divisa, quarum altera (c. 7—14) de re domestica, altera (c. 15—21) de re rustica uberrime agitur.

---

[39]) Conf. Susemihl. hist. litt. Graec. I, 832; de aetate libelli artius circumscribenda desperandum esse cum suo iure Roquettius, de Xenoph. vita (Regimont. Boruss. 1884) p. 67, censeat, facere non possumus, quin Joëlio (l. c. p. 21 sq.) idem fere cum Richtero (l. c. p. 149 sq.) sentienti adstipulemur, qui accuratissimo rerum, quae quidem aliquo loco et numero esse videantur, calculo subducto satis multis annis post auctoris ex Asia reditum (a. 394) Anabasi atque Commentariis in lucem editis Oeconomicum scriptum esse exputavit annumque vitae Xenophontis ultimum, quem non ante a. 355 statuendum esse Kruegerus, quaestiones criticae de Xenoph. vita (Halis Sax. 1822) p. 30, quaerendo eruit, unicum terminum esse contendit, ante quem Oeconomicus confectus sit; de Dittenbergeri argumentis e genere dicendi petitis (Herm. vol. XVI, 321 sq.) quid sit iudicandum, Schenkelius ann. Bursian. vol. 54 (1888) p. 5 et Hirzelius, der dialog p. 147 not. 1, probe intellexisse mihi videntur. Sed haec omnia, cum adnotatiuncula aliqua comprehendi non possint, nunc omitto.

[40]) Quod Xenophon colloquio illi se interfuisse dicat, parvam ei apud peritos rerum iudices fidem haberi (vide Joël. l. c. q. 36 et Richter. l. c. p. 127 sq.) vanamque Christiani opinionem esse, qui disputationem a Socrate revera institutam multis post annis a Xenophonte aetate iam provectiore memoriter litteris traditam esse sumit (translat. oper. Xenoph. [Stuttg. 1828] fasc. 9 praef. p. 1044 sq.), non habeo, cur uberius explanem, quoniam quibus persuaderi potest Hirzelius l. c. p. 150 persuasisse mihi videtur. Equidem et huic et aliis eiusmodi argumentis (vide Breitenbach adn. ad Xenoph. Oecon. II, 7) fidem prorsus abnegandam esse censeo, cum rem inexplicabilem esse arbitrer.

Argumentum libelli ipsum quale sit, cum ab editoribus, velut a Schneidero (Lips. 1805) et a Breitenbachio (Gothae 1841) in summariis capitibus singulis praemissis accurate ac prolixe expositum sit, equidem, ne ab aliis centies dicta et repetita recoquam, rem ita instituam, ut rerum ab auctore copiose enarratarum ordine neglecto materiam ipsam ea, quae in natura rei posita est, ratione explicem et pro virium mearum modulo illustrem[41]).

Ac primum quidem quod attinet ad oeconomiae notionem atque vim, Xenophon Socratis, quem obstetricia illa ratione utentem inducit, vestigia persecutus[42]) artem eam esse distincte docet *οἴκου* i. e. rei familiaris bene administrandae et augendae cum propriae tum alienae (Oec. I, 4, 5), *οἴκου* deinde notione contineri censet quidquid quis possideat bonorum[43]); quo nomine negat quicquam dignum esse, quo quis sic uti non possit, ut fructus inde percipiat (I, 7 sq. II, 11, VI, 4 sq.). Eiusdemque Socratis vestigiis Xenophon insistit, cum plane et eleganter eum exponentem facit, qua ratione maritus uxorem, quid sit bonum honestumve, instituere debeat. Atque cum hac magistri sententia ea optime congruunt, quae Xenophon cum de matrimonio tum de uxoris condicione Ischomachi, viri *καλοῦ κἀγαθοῦ* et patris familias prudentissimi, verbis usus explicat. Cuius secundum praecepta, quae imaginem perfectam quasi quandam matrimonii artissimo concordiae vinculo coniuncti exprimunt, uxor comes fida mariti esse debet, cum *συνεργὸς εἰς τὸ συναύξειν τοὺς οἴκους* tum *κοινωνὸς βέλτιστος οἴκου καὶ τέκνων* (VII, 11, 30, 42), quacum omnia communicanda esse censeat; maritus cum extra domum versetur, ut rei familiari augendae operam det, uxor intra domus parietes apium reginae instar in civitate minore familiae praesit necesse esse (VII, 3 sq., 22 sq., 30 sq.) ad optima et

---

[41]) Commode a Vogelio l. c. p. 68, 69 argumentum digestum est.

[42]) Quatenus Socrates suam ipsius sententiam pronuntiet, quatenus eam, quam Xenophon ei imputaverit, quamvis interdum non liqueat, tamen, ut alia omittam, quae de sellulariis illis quae vocantur artibus fiunt verba (IV, 2), personati, non veri Socratis esse affirmare non dubito.

[43]) Bene vertit Boeckhius oec. civ. Athen. I (3) 143 'das gesamtvermögen'.

honestissima quaeque eam informans. Quanti vero uxoris industria ab eo aestimetur, ex eo colligere possis, quod paris momenti atque mariti negotia eius esse affirmare non dubitat (III, 15). Ac profecto omnium undique laudem Xenophontem sibi peperisse existimo, Socraticae doctrinae interpretem fidelissimum, quod indole atque ratione mulieris accurate perspecta eas intra domum partes ei tribuit, quas natura ipsa ei videtur tribuisse; quae indoles quam non intellecta sit a Platone, nemo nisi plane in his rebus hospes negabit.

Sequitur, ut examinemus, quid de servorum usu atque condicione libelli nostri auctor iudicet; quo in argumento Xenophontis sententiam a praeceptoris doctrina valde distare neminem potest fugere. Socratem enim nihil interesse inter homines liberos et servos docuisse, quae sententia Cynicis quoque probata est, non ignoramus[44]). Contra Xenophon, communi illi Graecorum opinioni praeiudicatae prorsus addictus, tantum abest, ut nullum discrimen faciendum esse censeat, ut disertissime planissimeque servos quasi inferioris ordinis animantia ab hominibus internoscat. Quid? quod homines dicto audientes fieri ratione et consilio ait, servos nisi disciplina ac severitate adhibita ad obsequium redigi non posse palam pronuntiat[45]). Neque vero desunt loci, quibus humanum atque mite auctoris ingenium a benigno praeceptoris animo non alienum esse manifestetur: ut enim aegrotantes servos diligenter curare iubet uxorem (c. VII, 37), ita, qua est benevolentia, quos spectatae fidei esse cognoverit, eodem loco se habiturum atque homines liberos (XIV, 8, 9) eosque beneficiis sibi conciliaturum esse profitetur, quos lucri studiosos cognoverit (XII, 6). Cui sententiae id quoque consentaneum est, quod eos, qui pro liberis hominibus habeantur, officium suum melius praestare existimat, quam qui vinculis perpetuis in officio contineantur (c. III, 4). Videmus igitur Xenophontis iudicium certum sibique constans non esse, cum satis multis locis Socratis sententiam ita pronuntiet, ut haud pauca tamquam furtim de suo admisceat.

---

[44]) Conf. Hildebrand. l. c. p. 26.

[45]) Oec. XIII, 9.

Quoniam igitur de hominibus quae ad rem pertinent exposuimus, iam, ut via ac ratione disputatio explicetur, de eis rebus, e quibus res familiaris constat, disseremus. Atque quae res in bonis numerandae sint, primo Oeconomici capite auctor docet sextoque (§ 4), quo sententia verbis non multum mutatis eadem occurrit. Nullam autem rem sibi, utpote agricolae rei rusticae studiosissimo, magis arridere quam fundum agrumque ingenue profitetur, quo prudenter ac sollerter colendo plurimum incrementi rem familiarem universam capere Xenophonti, qui sua Socrati imputavisse existimandus est (Oec. V, 1 sq.), persuasum est. De laudibus agriculturae, quam viro honesto atque ingenuo unice dignam esse non dubitat affirmare (c. VI, 8), quippe *τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφόν* (c. V, 17), cui illustrandae non exiguam libelli partem tribuit (c. XV—XXI), cum a re nobis proposita admodum sit alienum, plura verba facere supersedeo[46]).

Iam vero de placitis moralibus Oeconomico Xenophonteo insertis quae ex re nobis videantur esse adiciamus.

Atque primariam quidem virtutem Ischomachus philosophiae moralis lineamenta designans *σωφροσύνην* laudat, quippe qua optimus nuptiarum consensus efficiatur, cum proprium eius sit motus animi appetentis regere et sedare semperque adversantem libidini moderatam in omni re servare constantiam[47]); eaque bona et marito et uxori expetenda esse dicit, quae ex naturali quadam lege bona sint et recti sanique sensui quoquo modo conveniant[48]). Quae sententia cum ei stet, deos ante omnia colendos esse censet, quippe qui omnium rerum domini sint, cum deis omnia negotia, sine deorum auxilio nulla patri familias pio ac prudenti inauguranda esse existimans (c. V, 19 sq., c. XI, 8). Quo nomine cum nemo ei videatur dignus, quin *ἐπιμελείας* virtutem exercere noverit, virum aeque atque mulierem ad hanc virtutem iubet adspirare (c. VII, 26) difficilius esse ratus huic officio deesse

[46]) Conf. Vogel l. c. p. 62 sq.

[47]) Similitudinis causa conferre iuvat Eusebii fragm. apud Stobaeum flor. 74 (vol. III p. 58 ed. Meineke): *γάμου ἀρίστη ξυμφωνίη ἀμφοτέρους σωφροσύνην ἀσκέειν.*

[48]) Conf. Breitenbach praef. ed. p. III.

quam adesse (c. IX, 18). Qua virtute exercenda quid oeconomus probus consequi possit, ex eis Ischomachi verbis intellegi potest, quibus bonorum series ex illa provenientium enumeratur (c. XI, 8, c. IX, 14); deinde qua ratione virtutem *ἐπιμελείας* pater familias alios docere debeat, auctor exponit (c. XII, 11 sq.); denique tantum pretii virtuti illi tribuit, ut maioris momenti esse existimet curam ac diligentiam (*ἐπιμελεῖσθαι*) quam rei notitiam (*ἐπίστασθαι*)[49]). Neque minoris aestimatur ab auctore libelli ea virtus, cui nomen est *ἐγκράτεια*, Socrati Cynicisque aeque grata atque iucunda. Quam virtutem maxime necessariam in medio quasi positam esse inter maritum et uxorem Ischomachus vult ad certamen honestum atque nobile excitandum (c. VII, 27). Postremo ad eas, quae enumeratae sunt, virtutes *δικαιοσύνη* accedat necesse est (c. XIV, 4 sq.) a Xenophonte eximia laude ornata, cum iustitiam a *σωφροσύνη* non secernendam esse ei persuasum sit (c. VII, 15), quippe e qua viri et uxoris mutua concordia, famulorum erga dominos benevolentia, dominorum in famulos cura pendeat.

Quae cum ita sint, domino, ut familiam hanc artem doceat, suasisse non satis habet, sed qua ratione id fieri possit, accurate ipse exponit (c. XIV, 4). Quibus virtutibus qui imbutus sit, ad rem familiarem administrandam augendamque Xenophonti aptus atque idoneus videtur esse, cum non qui divitiis et externis rebus abundet, utpote fortunae obnoxiis ac fluxis, *εὐδαιμονίας* particeps fieri possit, sed qui turpibus illis animi vitiis vacet, qualia sint inertia, mollities, incuria (c. I, 19), quae dominae maxime dirae, ut Antisthenis quoque fert opinio[50]), a persona oeconomi boni prorsus absint necesse sit. Possum commemorare eas virtutes, quae e primariis illis necessario sequuntur, non minus illas quidem expetendas, velut studium ordinis in omnibus rebus adhibendi (c. VIII, 3 sq.)[51]), obsequentiam, modestiam, victus atque ornatus simplicitatem (c. X, 2), *ἀκριβείας* virtutem (c. VIII, 17), sed video ea ipsa, quae

---

[49]) Conf. etiam c. XX, 21.

[50]) Conf. Joël l. c. p. 360, 499, Vogel l. c. p. 43 not. 2.

[51]) Commode Goettlingius hunc locum in comparationem affert Hes. op. v. 407.

exposui, longiora esse satisque habeo, ut finem faciam enarrationis, ad ipsa Oeconomici auctoris verba delegasse, quibus, quid virtutibus illis efficiatur, haud ineleganter complexus est: *τὰ καλὰ κἀγαθὰ διὰ τὰς ἀρετὰς εἰς τὸν βίον τοῖς ἀνθρώποις ἐπαύξεται* (c. VII, 43).

Atque de Oeconomico quidem Xenophonteo haec habui, quae dicerem. Ut concedam auctorem argumenta, de quibus disputavit, ethica populari modo magis extenuasse verbis quam explanavisse materiamque, quam tractandam sibi proposuit, ad artem et ad leges certas non revocavisse, tamen iucundissimam esse simplicem illam sine ulla exornatione enarrandi rationem argumentique varietatem candide neque ineleganter expositi ipsa ex *ἀταξίᾳ* plurimum oblectamenti atque fructus lectori afferentem profiteri non dubito [52]).

Ut autem Socratis sectatores ei, quos commemoravimus, artem oeconomicam praeceptoris animo gratam et acceptam a se alienam non putaverunt, ita is, quem divini Socratis ingenii magnitudinem, quae erat ipsius mentis natura atque vis, subtilissime pernovisse constat, minime eam dignam existimavit, cui operam navaret; frustraque in voluminibus Platonicis eam philosophiae moralis partem requirimus, quae praeceptis a Xenophonte in Oeconomico traditis respondeat [53]).

Quae cum ita sint, quo iure Goettlingius [54]) philosophiam practicam summatim Platonem comprehendisse uno volumine de Civitate conscripto eoque officia hominis, civis et patris

---

[52]) De pretio atque dignitate libelli alii aliter iudicant; etenim ut Struempellius l. c. p. 506 sq. amplissimis verbis auctori laudem impertit, ita Linckius, ut alios omittam, in libro, qui inscribitur „Xenophons dialog *περὶ οἰκονομίας* in seiner ursprünglichen gestalt“ (Jenae 1879) argutius quam verius Oeconomicum fetum esse spurium, interpolatum, cuiusvis generis vitiis laborantem demonstrare studet; idemque in commentatione „de Xenophontis libris Socraticis“ inscripta, progr. Ien. 1890 p. 6, libellum ita comparatum esse iudicat, ut et initio et in fine appareat ad perfectum opus aliquid deesse. Propius ad veritatem Vogelius mihi videtur accedere, cuius iudicium modicum et temperatum (l. c. p. 67 sq.) non est cur improbemus.

[53]) Vide Struempell l. c. p. 482.

[54]) *Ἀριστοτέλους οἰκονομικός* praef. p. VI.

familias strenue persecutum esse censeat, me non videre fateor. Quid quod eis, quos solos civium nomine dignos esse arbitratur, re domestica atque privata, quippe quae pars oeconomiae maxime necessaria sit, interdicit (416 D, 464 B); quod rei domesticae administrationem curae atque sollicitudinis plurimum homini afferre (465 C) adulescentique, quominus ad altiora tendat, obstare expressis verbis asserit (498 A); quod agriculturam, qua Socrates eiusque vestigia persecutus Xenophon nullam artem esse honestiorem professi sunt, quasi macula aspersam ad homines tertii ordinis, ad peregrinos servosve delegat (415 C, 466 A)? Mulieris vero, cuius in domo officia et munera eiusdem atque viri momenti esse Socrates eiusque asseclae suo iure asseverant, indolem propriam et naturalem quam non perspexerit (conf. 451 C, 455 D sq.), quis est, quin intellegat[55])? Sed haec et talia ut pueris decantata praetereo.

Quae cum ita sint, eam philosophiae moralis partem, qua ars oeconomica continetur, Platonem, quae est Boeckhii oec. civ. Athen. I, 3 sententia, non promovisse luce clarius est, cum non ea, quae revera sunt, respexerit, sed a cogitatione exorsus, quem sibi finxit rerum humanarum ordinem, quaestionis fundamentum posuerit solique ingenio suo sublimi et ad altissima quaeque tendenti indulgens eam summae perfectionis imaginem, quam sua mente concepit, sectatus sit.

Venimus ad Xenocratem Chalcedonium, *τὸν γνησιώτατον Πλάτωνος τῶν ἀκροατῶν*; cuius philosophiae doctoris monumenta ingenii quamquam plurima fuisse Laertius Diogenes (IV, 11 sq.) testatur, tamen quae supersunt fragmenta[56]) adeo non integra sunt, ut vix lineamenta prima doctrinae Xenocrateae ex eis cognoscere possimus. In numero scriptorum, quorum pars satis magna ethicam disciplinam videtur complexa esse et ita quidem, ut vix ulla pars ab eo tractata non sit, cuius rei

[55]) Satis habeo delegasse ad ea, quae de hac re exposuerunt Struempellius l. c. p. 411 sq., Zellerus l. c. II. 1, 753, C. Steinhart translat. op. Platon. V praef. p. 195 sq.

[56]) Vide praeter Mullach, fr. phil. Gr. III, 114 sq. R. Heinze, Xenocrates, darstellung der lehre und sammlung der fragmente (Lips. 1892) p. 157 sq.

Laertii Diogenis index testimonio est, libellus invenitur, qui inscribitur „οἰκονομικός“.

Cuius voluminis cum fragmentum exstet nullum, argumentorum specie credibilium ope destitutis ea nobis offusa est caligo, ut neque qualis condicio libelli fuerit neque qua ratione Chalcedonius sapientiae doctor materiam tractaverit, computando liceat eruere.

Ad oeconomica Xenocratis studia haud scio an revocare possis Procli ad Hesiodi op. et di. v. 376 (Goettl.) adnotationem, ex qua carminis illius initia philosophiae practicae continentis notitiam ab eo non alienam fuisse apparet (Heinze fr. 97); neque verisimile non est in Oeconomico Xenocratem ea exposuisse, quae Cicero de fin. IV, 7, 17 (Heinze fr. 79) de ratione Xenocratea refert, quibuscum componas Plutarchi verba de commun. notit. adv. Stoicos c. 22; VI, 311 ed. Bern. (Heinze fr. 94), insignem similitudinem cum argumentatione Aristotelica Pol. 1252[a] 24 sq. prae se ferentia. Deinde his consentanea sunt quae teste Porphyrio de abstin. IV, 22 (Heinze fr. 98) Xenocrates discipulos de pietate erga parentes docet: γονεῖς τιμᾶν. δεῖ γὰρ τοὺς μὲν γονεῖς εὐεργέτας ἡμῶν γεγενημένους ἀντευποιεῖν ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται. Denique a re non esse mihi videtur ad eum Plutarchi[57]) locum delegare, quo expressis verbis affirmatur Xenocratem, licet corporis bona facilem quandam habere rationem censeat (Cic. l. c.), opes, quippe quod sit fundamentum oeconomiae, bonis adnumerare minimeque eas inutiles esse censere.

Quae cum ita sint, cum Laertii indice tum sententiarum singularum fragmentis memoriae proditis probabile fit Xenocratem, quamvis omni ope atque opera enisus sit, ut Platonis disciplinam quam fidelissime explicaret et illustraret, tamen magistri vestigia persecutum cum in aliarum rerum consideratione tum in contemplatione rei domesticae ulterius progressum esse[58]).

Iam vero Aristoteles, cuius ingenium prope omnia complectebatur et penitus explorata in rationalis doctrinae for-

---

[57]) adv. Stoicos c. 13; vol. VI, 300 ed. Bern. (Heinze fr. 92).

[58]) Conf. Mullach l. c. III, 111, Heinze l. c. praef. p. VI, Zeller l. c. II. 1, 863.

mam redigebat, de re domestica administranda quid iudicaverit, videamus[59]). Quem ad finem Politicorum liber primus adeundus est, quo ea, quae huc spectant, cum genuina philosophi Stagiritae doctrina congrua primis lineis designantur.

De familia autem deque re familiari Aristoteles haec fere tradit: postquam paucis, quid intersit inter rem publicam et domesticam administrandam, ea mente explicavit (1252ª 8 sq.), ut Cynicorum atque Xenophontis sententiam impugnet, qui publicam administrationem a privata non differre existimant nisi rerum amplitudine, quae rationes intercedant inter maritum et uxorem, quae inter servos et liberos homines, indagare aggreditur (1252ª· 24 sq.), quippe e quibus societatibus prima oriatur domus. Quod autem rei domesticae administrationem cum monarchia comparandam esse ait (1255ᵇ sq.), haud difficulter, quas partes singulis familiae personis tributas esse velit, inde cognoscimus. Quamquam magno in errore versatur, qui Aristotelem eorum sententiae fuisse arbitretur, qui uxorem, quasi humanum quoddam mancipium, ad ancillae negotia destinatam esse existimant, tamen natura ipsa ex opinione eius aliquantum interesse inter virum atque uxorem neminem potest fugere; masculinum enim sexum, utpote superiorem, ad imperandum, femininum, utpote inferiorem, ad oboediendum natum esse contendit (1254ᵇ 39 sq., 1259ᵇ 1 sq.). Id quoque inter maritum et uxorem interesse ait, quod alterius sit opes parare, alterius paratas servare et custodire (1277ᵇ 24); nobilissimum autem patris familias officium ei videtur esse virtutem atque honestatem hominum liberorum curae sibi habere (1259ᵇ 20); quam curam maioris momenti existimandam esse cura *ἀψύχων κτήσεως* (1259ᵇ sq.) ei persuasum est. Atque aliter patrem familias uxori, aliter liberis imperare vult; illi enim *πολιτικῶς*, his *βασιλικῶς* praesit necesse esse (1259ᵇ 1 sq.). Sed paucis ea quaestio ab auctore absolvitur et in aliud tempus differtur, ita ut, quae vera sit philosophi de liberis educandis sententia, frustra quaeramus, quoniam quae extrema Politicorum parte (libris VII et VIII) (VI et V) de hoc argumento traduntur, ad oecono-

[59]) Conf. Vogel l. c. p. 74 sq.

miam propriam neutiquam videntur spectare. Subtilissime autem de servorum condicione agitur, quos medium inter *ἀνθρώπους* et *κτῆσιν* locum tenere, *ἔμψυχον* utpote *ὄργανον*, contendit (1253 b 28). Atque acerrime eorum sententiam Aristoteles impugnat, qui servitutem non natura constitutam, sed id, quod exstet inter homines liberos et servos discrimen, humano arbitrio factum legeque sancitum esse iudicent, quorum ex numero Cynicos esse probe scimus. Natura (*φύσει*) enim ex philosophi Stagiritae sententia servus is est, qui eis corporis viribus praeditus est, ut ad id, quod alter providerit, exsequendum valeat, neque minus, cuius vitae condicio ea est, ut vivere non possit nisi alieno arbitrio (1254 b 16 sq.). Omnino quicunque solis corporis viribus utantur, natura servi videntur facti esse idque servitutis genus non solum iustum, sed etiam servis ipsis utile esse Aristoteli persuasum est, insipientibus satius esse parere quam imperare existimanti. Quae cum ita sint, quae ratio inter servum et dominum intercedat, facile est intellectu: servus patris familias voluntati plane obnoxius sit necesse est, ita ut quasi re variisque supellectilis generibus dominus eo uti possit Quod nihilosecius, quo est animo miti atque humano, servum, utpote virtutis qualiscunque sit participem, cum lenitate et liberalitate tractandum esse censet praemiumque virtutis libertatem pro ingenii atque rationis indole servo de familia bene merito proponi vult, philosophus Stagirita ipse nequaquam secum dissentit, quippe qui neminem servituti natum esse iudicet, nisi qui „eo usque rationis sit particeps", ut ipsius Aristotelis verbis (1254 b 20) utar, „quoad eam sentiat quidem, sed ipse non habeat". Quam definitionem qui iudicio exacto examinaverit, non vereor, ne Aristotelem, ceteroquin in sententia sua firmissimum, hac in re secum non congruere existimet. Ceterum quae sit vera eius sententia, ut alia omittam, ex ultima philosophi ipsius voluntate (Laert. Diog. V, 11 sq.) facile apparet[60]).

Iam vero eis, quae de servis disputavimus, quae de facultatibus sive opibus (*κτήσει*) dicenda sint addere lubet.

Quae res prolixiorem argumentationem propterea philosopho

---

[60]) Vide Zeller l. c. II. 2, (3) 692 not. 6.

nostro exigere videtur, quia de notione artis *κτητικῆς* alios aliter iudicare probe novit.

Summa autem disputationis, ut ea, quae satis verbose de hac re exponuntur, paucis complectar, haec mihi videtur esse. Ut *κτητικῆς* artis id genus, quod naturae conveniat, in eis dumtaxat opibus comparandis versans, quibus oeconomo ad vitae usum opus sit, oeconomiae partem habendum et ab omni parte honestum atque liberale existimandum esse Aristoteles censet[61]), ita quod *δι' ἐμπειρίας* ortum sit aeque atque *καπηλικήν* (Pol. 1258^{b} 2 sq.), utpote qui quaestus illiberalis sit, ab arte oeconomica alienum proculque ab ea abhorrere persuasum habet.

Quoniam igitur quid philosophus Stagirita de re oeconomica iudicaverit et perspicua ac dilucida oratione ipse expresserit, nobiscum reputavimus, ne dirimamus, quae iuxta composita in exemplaribus nostris fere leguntur[62]), quae condicio sit trium illorum librorum ad oeconomiam spectantium, qui Aristotelis nomine perperam feruntur, iudicio exacto et diligenti examinabimus.

Qua in re quamquam in variarum quaestionum fluctus me delabi non ignoro, tamen quae mea sit sententia, profiteri non dubito: ad unum omnes a solida et exquisita Aristotelis doctrina alieniores libelli illi mihi videntur esse, quam ut digni iudicentur, qui philosophorum principi tribuantur[63]).

Quae ratio quo planius cognosci possit, de argumento libri primi, quem integrum totumque servatum esse censeo, ut ordine rem expediam, quae scitu digna esse videantur, exponam[64]).

---

[61]) In eandem sententiam Xenoph. Oec. II, 18 disputat.

[62]) Temporis ordo ut hoc loco servaretur fieri non potuit.

[63]) Adde, quod Aristoteles, quae est celeberrimae sectae Peripateticae principis ratio, cum Xenophonte quasi certamen quoddam inire et coloni Scilluntii librum ad verbum fere transcribere omnino aspernatus est, cuius opera inferiora videtur duxisse, quam ut eorum mentionem faceret aut respectum haberet (vide Schlosser, praefat. translat. Polit. Aristot. vol. III, 62 not. 61, Joël l. c. p. 204, Richter l. c. p. 152).

[64]) Ad controversiam quod attinet inter homines eruditos de libelli auctore, philosopho aliquo Peripateticae doctrinae initiato, eiusque aetate

Atque in prooemio quidem quid intersit inter administrationem rei domesticae et publicae seu civilis postquam auctor exposuit, cum e domibus constet civitas, civili ratione *οἰκονομικὴν* aetate priorem existimandam esse censet, cuius artis notionem ut definiat, ab enumeratione earum partium orditur, quibus *οἰκία* constat.

Ante omnia autem patri familias uxore opus esse et *οἴκῳ* sive *κτήσει* (facultatibus) disertis verbis docet[65]), cum haec (*κτῆσις*) victum praebeat, illius in re domestica administranda industria maximi momenti sit. Atque rei familiaris ea cura prima ei videtur esse, quae ponatur in agricultura, quia et iustitiae magistra hominibus existat et naturae maxime conveniens sit, quippe qua corpora firmentur et ad quodvis laborum genus sustinendum fiant idonea. Secundae partes artibus eis deferuntur, quae e terra proferunt aliquid, qualis est metallorum ars et si qua alia eiusmodi est.

Videamus nunciam, ut ordinem teneamus, quae sit auctoris de condicione atque fortuna uxoris sententia. Atque matrimonium quidem natura ipsa eo consilio institutum esse ait, ut non solum genus humanum propagetur, sed etiam maritus et uxor alternis vicibus se iuvent iuvandoque vitam beatam efficiant. Quae communio maritalis quam sit consentanea naturae legibus, vel inde intellegi posse, quod suae utrique parti facultates diversae non eaedem tributae sint; etenim alterum sexum robustiorem natura factum esse, ut alteri auxilietur, alterum imbecilliorem, ut ad timiditatem pronus opibus paratis provideat; alteri ea, quae opus sint, comparanda domumque conferenda, alteri domi parata custodienda esse censet. Neque

---

agitatam, cum eo brevioribus verbis disputari possit, quo subtilius haec omnia iam demonstrata sunt, satis habeo delegasse ad Schlosser l. c. 215 sq., Goettling, *Ἀριστοτέλους οἰκονομικός* praef. p. XVI, Schoemann, opusc. acad. III, 209 sq., Spengel, nunt. litt. Monacens. (1839) n. 225, L. Schmidt l. c. II, 465, Zeller, l. c. II 2, 151 not. 4, 944, Lincke, Xenophons dialog *περὶ οἰκονομίας* in seiner ursprünglichen gestalt p. 94 sq., Susemihl, Aristotelis quae feruntur Oeconomica praef. XX, Joël l. c. p. 204, Richter l. c. p. 152, Vogel l. c. p. 78 sq.

[65]) Conf. Xenoph. Oec. I, 7, VI, 4: *ἡμῖν ἐδόκει οἶκος ἀνδρὸς εἶναι ὅπερ κτῆσις.*

minorem in ea ratione exstare differentiam, quae inter parentes et liberos intercedat (1344^a 6 sq.); cum enim procreandi munus patri et matri commune sit, ὠφελείας[66]) i. e. operae a parentibus liberis dandae rationem diversam esse: matris proprium officium esse θρέψαι, patris παιδεῦσαι. Quo est animo in uxorem benevolo auctor maritum praemonet, ne offensioni sit uxori neve iniuriam ei inferat (1344^a 8 sq.). Iam vero cum id quoque curandum sit marito, ut uxor in fide et officio permaneat, ad usum congressumque quod attineat, ei praestandum esse censet, ne ille desideretur neve propter absentiam quieti locus non sit. Omnino mores indolemque coniugum concordare inter se necesse esse, quippe quod sit amoris firmissimum stabilissimumque fundamentum; denique ut a mundo muliebri aversus non est, ita lenocinium nimiumque ornatum theatri velut speciem efficientem minime idoneum esse auctor censet ad concentum coniugalem conflandum, omnia supervacanea, meretricia, ad pompam pertinentia fugienda atque repudianda esse ratus.

Neque indigna mihi videntur, in quibus illustrandis amplius versemur, praecepta ad servos pertinentia, utpote quae rei familiaris pars maxime necessaria sit (1344^a 23 sq.). Qua in re domino id ante omnia agendum est, ut servos bonos et ad quodlibet officium domesticum praestandum idoneos sibi comparet; quod hominum genus cum plerumque dividi soleat in villicos sive procuratores et in operarios, eos, qui meliore indole praediti esse videantur, ita educandos et instituendos esse, ut negotia liberaliora eis tradi possint. Quae deinceps qui libellum confecit de servis tractandis praecipit, ita comparata sunt, ut et benevolentiam animi et prudentiam prae se ferant, cum non solum dominum admoneat, ut consilio et ratione utatur, ne iniuriam servis inferat neve nimis indulgenter, quod attineat ad pensum, castigationem, alimenta se gerat, sed etiam libertatis praemium, quo libentius opus faciant, universis proponendum et liberorum procreandorum copiam eis faciendam dapesque et

---

[66]) Ad ὠφελείας vocabuli notionem activam illustrandam conferre iuvat Plut. adv. Stoicos c. 22 (VI, 311 B.): ὠφελεῖσθαι ἀνθρώπους ὑπὸ γονέων.

sacrificia solemnia remissionis causa in usum eorum instauranda esse censeat.

Quibus, quae de reliquis heri diligentis officiis adiunguntur, ad amussim respondent. Quae praecepta in calce libelli singularum rei rusticae partium ratione habita exemplis ab oeconomia Persarum, Lacedaemoniorum, Atheniensium petitis comprobantur et illustrantur, cum ad rei nobis propositae naturam non pertineant, enarrare supervacaneum esse puto.

Iam vero hoc loco oritur quaestio, utrum argumenti pars maior e scriniis veri Aristotelis an ex officina Xenophontis deprompta sit; doctorum enim hominum, qui periti rei, quae cadit in controversiam, iudices existimandi sunt, sententiae adeo non congruunt, ut alii, velut Schoemannus l. c. p. 229 pleraque, si quis *τὰς δυνάμεις* spectet, e Xenophonte summatim (*κεκεφαλαιωμένα*) translata esse censeant, alii, quo e numero praeter Goettlingium (praef. p. VII) Susemihlius imprimis est (praef. p. V not. 1), libelli auctorem, cum veri prae se ferat Aristotelis placita minimeque abhorreat ab huius doctrina ethica, Aristoteli plus quam Xenophonti debere contendant[67]). Quae mea sit sententia paucis exponam.

Locis eis, qui sub examen vocandi sunt, et perlustratis et comparatis[68]) rationis Xenophonteae vestigia leviter admodum impressa exstare nemo, qui animum vel paulo attentius adverterit mihi non concedet. Ut singula omittam, ubique copiosior et subtilior Xenophontis argumentatio ab auctore praecisa et in brevius contracta est omissis plerumque rationibus eis, quibus singulae sententiae ab illo comprobatae sunt. Quo fit, ut quae intercedat ratio arti oeconomicae cum philosophia morali, quippe quod quasi totius quaestionis fundamentum sit e Xenophontis quidem opinione, fere non perspici possit. Accedit,

---

[67]) Conf. etiam Vogel. l. c. p. 79.

[68]) In indice Susemihlii (l. c.) quamvis similitudines gravissimae a Goettlingio, Breitenbachio, Schoemanno iam pridem pleraeque deprehensae notentur, tamen cum nudis locorum numeris appositis paulo obscurius res significata sit, quo magis appareat, quae ratio inter eos, de quibus agitur, locos intercedat, quae ex re mihi videantur esse, retractare non dubito.

quod alii loci, velut 1344 b 4 sq., utpote locorum communium instar, in censum vocari omnino non possunt, alii quasi in proverbii usum abiisse aut proverbii colorem prae se ferre existimandi sunt, velut 1344b 25[69]) et 1345a 3 sq.[70]), ita ut, quo ex fonte hausti sint, diiudicari non iam possit.

Neque vero pauci reperiuntur loci, quibus ad evidentiam demonstrari possit Oeconomici Ps. Aristotel. primi auctorem omnino non id sibi proposuisse, ut Xenophontis exemplar imitaretur. Quod enim ait 1343a 22 sq.: *ὥστε δέοι ἂν τὰ περὶ τὴν τῆς γυναικὸς ὁμιλίαν οἰκονομήσασθαι καλῶς,* si in animo ei fuisset hanc sententiam accuratius exsequi, nonne Ischomachi nobilissimum cum uxore colloquium (Oec. VII, 10 sq.) ante oculos ei positum erat? At frustra quaeris, quomodo libelli auctor id, quo spectat oratio, absolverit et ad finem adduxerit. Quibus si addiderimus, quod haud scio an non sit neglegendum, de cultu deorum aeque ac de sacrificiorum sanctitate adeo non congruere utriusque rationes, ut alter admodum diligentem religionis cultorem se praebeat (conf. Oec. V, 3, 20; VI, 1 sq.; VII, 7; IX, 6; XI, 8; XVII, 3), alter circa rem divinam prorsus neglegentem (conf. 1344b 19), nonne ex eo, quem proposui, locorum conspectu librariolum, quamvis coloni Scilluntii libellum in manibus eum habuisse verisimile sit, minus argumentationis Xenophonteae rationem habuisse apertissime cognoscitur quam earum rerum, quae levioris, ut ita dicam, momenti et a re ipsa admodum alienae videantur esse?

Iam igitur videndum est, quatenus libelli auctor, quem dictionis Aristotelicae subtilitatem gravitatemque infeliciter et perverse imitatum esse manifestum est, ex dogmatis philosophi Stagiritae pendeat.

Quae quaestio cum ab hominibus doctis[71]) eo, quo opus

---

[69]) Quo de proverbio a Danaidum fabula ducto conf. Suidam s. v. *εἰς τετρημένον* et s. v. *ἀπληστία*; ceterum ad eos delego locos, quos collegit Eichlerus, die redebilder in den schriften Xenophons, progr. Dresd. 1894, p. 26 adn. 28.

[70]) Conf. Plutarch. de lib. educandis c. 13 (vol. I, 21 ed. Bern.): *τὸ ῥηθέν· ὡς οὐδὲν οὕτω πιαίνει τὸν ἵππον ὡς βασιλέως ὀφθαλμός.*

[71]) Conf. Goettling l. c. praef. p. IX, Schoemann l. c. p. 209, Susemihl, ind. p. V.

est, iudicii acumine absoluta sit, ne acta agam, quae de discrimine civilis et domesticae administrationis, de partibus domus, de praeceptis coniugalibus, de servorum condicione, de *κτήματος* cura eodem fere modo ab utroque auctore exponuntur, singula accuratius percensere supersedeo. Pauca mihi liceat adiungere. Quod ad extremam opusculi partem attinet, qua sermo incidit in varia multipliciaque oeconomi officia, ex rei ipsius natura consequens est e Politicis Aristotelicis Oeconomici primi auctorem minus lucri facere potuisse, cum argumenti in libro illo tractati ratio a re domestica omnino sit aliena. Quae quamquam ita sunt, tamen in hac quoque parte non pauca insunt, quae cum sententiis ab ipso Aristotele explicatis non discrepent. Quod enim suis quemque rebus optime prospicere libelli auctor dicit (1344^{b} 35 sq.), idem etiam Politicorum auctori (1261^{b} 34) probari videmus. Quattuor autem illa *εἴδη οἰκονόμου* (1345^{a} 22), quamquam sententiarum ordo idem in Politicis non reperitur — non possunt in Politicis inveniri his similia —, tamen cogitatione quodammodo assequi possumus ex eis operis Aristotelici locis, quibus de oeconomiae natura atque vi conscriptum est[72]).

Quae cum ita sint, quamquam negari non potest accuratissimam Aristotelis explicationem ab auctore Oeconomici primi locis satis multis non solum praecisam et contractam, sed etiam discriminis, quod inter politicam artem et oeconomicam intercedit, ratione habita paululum variatam esse, tamen quantum attinet ad sententias maxime ratas, quae primo Oeconomico continentur, a philosophi Stagiritae placitis non aliena esse mihi persuasum est.

Iam vero de libello altero, qui in libris manuscriptis ut Aristotelis Oeconomicus secundus fere fertur, quid iudicandum sit paucis me absoluturum esse spero, quoniam iterum atque saepius a viris doctis[73]), quale sit argumentum, qualis stilus, expositum sit; in promptu sunt omnia, ita ut res disputatione egere

---

72) Vide Goettling, praef. edit. p. XI.

73) Niebuhr, opusc. hist. et phil. minora I p. 412—416, Spengel l. c. p. 125 sq., Susemihl l. c. p. IX sq., hist. litt. Graec. I, 149 not. 830, Goettling, praef. edit. p. XVII sq., Zeller l. c. II 2, 944 sq.

non videatur; eoque minus argumentatione subtiliore opus esse existimo, quo minus, quae hoc libro continentur, cum Oeconomico illo primo neutiquam cohaerentia, arti oeconomicae vicina et finitima sunt. Quid? quod ad notitiam eius rei, quae titulo indicatur, amplificandam argumentum eius adeo nihil confert, ut in enarratione exemplorum latissima lectoris animum defatigante versetur, quae nisi *χρηματιστικῆς* notioni illustrandae non inserviunt? Quae ars cum ab oeconomica plane sit aliena, id quod disertis verbis ipse Aristoteles Pol. 1259^{a} 3 sq. docet, nullo modo fieri potest, ut idem philosophus auctor huius libelli esse existimetur[74]); quamquam negare non audeam eum, qui opusculum consarcinavit, Oeconomici qui fertur primi aeque ac Politicorum notitiam satis accuratam habuisse, id quod cum aliis exemplis probari posse mihi videtur tum verbis, quae exstant 1345^{b} 7 sq., cum Pol. 1258^{b} 12 comparatis. Exempla ipsa ab auctore allata quam non cohaereant cum prooemio illo tenui atque ieiuno, non est, quod moneam, quoniam quaecunque in censum veniunt a peritis talium rerum existimatoribus ea, qua par est, subtilitate perpensa sunt.

Tertio loco qui plerumque in editionibus legitur Oeconomicus, quem Susemihlius, quantum ad argumentum attineat, Aristotelis ingenio nequaquam indignum esse iudicat (l. c. praef. p. XXI) et L. Schmidtius genuinum philosophi Stagiritae opus esse non dubitat existimare (l. c. II, p. 179 sq.), pro singulari libello habendus sit an cum ceteris et quomodo coniungendus adhuc disputatur. Qualis sit condicio libri Susemihlius diligenter exquisivit (praef. XVII—XXI), quem cum alia tum hoc recte vidisse existimo conexum inter hunc libellum et primum illum Oeconomicum Ps.-Aristotelicum, quem tertio quasi continuari non desunt qui contendant, exstare nullum.

Argumentum eius, ut breviter et succincte rem absolvam, hoc est. Matrimonii ab omni parte beati imaginem, quae insi-

---

[74]) De auctore libri quid iudicaverint homines docti (conf. Susemihl l. c. praef. p. XII), repetere supersedeo, cum rem inexplicabilem esse arbitrer et in huius quaestionis obscuritate mihi quoque liquere negem.

det in mente auctoris, ut delineet, priore parte (p. 140—142, 18)[75]), uxori, qua ratione officiis matris familias probae sit fungendum, docet exemplis Alcestae et Penelopae propositis; posteriore parte (p. 142, 19 — 147, 12) ad Ulixem insigne fidei coniugalis specimen delegans, marito ad laudem patris familias boni tendenti quid sit expetendum, quid fugiendum, praecipit. Quod argumentum si mente accuratius perlustraverimus, fugere nos non poterit perpaucis locis exceptis[76]) inesse in hoc libro satis multa, quae rationis Xenophonteae memoriam nobis afferant eiusque vestigiis auctorem institisse ostendant[77]). Cui sententiae illustrandae haec inserviant exempla. Ac primum quidem quae de nimio ornatu muliebri monentur (p. 140, 11 sq.), non aliena sunt a verbis Xenophontis Oec. X, 2 sq.; deinde de pusillis, quae intra parietes fiant, rebus anxium ac sollicitum esse virum non decere et libelli nostri auctori placet (p. 140, 21) et Xenophonti Oec. VII, 3 sq.; tum quantum lucri parentes aetate provecti faciant e liberis bene moratis simili modo a Xenophonte explicatur (Oec. VII, 12) atque ab eo, qui Oeconomicum q. d. tertium conscripsit (p. 143, 3); denique affirmare non dubito quae traduntur praecepta coniugalia ad unum omnia ab ea imagine petita esse, quam Xenophonte duce Ischomachus singulari cum caritate delineavit. Quae vestigia quamvis expressa exstent, tamen multo maior eorum locorum copia mihi videtur esse, quibus facile appareat aetate permulto inferius esse id, de quo agitur, opusculum eis, quibuscum plerumque coniunctum in editionibus legitur. Ut disertius dicam, quid sentiam: non solum sententiarum sed etiam sermonis rationem atque indolem eiusmodi esse contendo, ut eis temporibus libellus assignandus sit, quibus opuscula illa Neopythagoreorum a Stobaeo florileg. LXXXV (vol. III p. 137—153 Mein.) servata videntur orta esse. Haud pauci enim loci reperiuntur, qui mitiorem illam Stoicorum aetate posteriorum rationem

---

[75]) Rosei editione utor, cui titulus est: Aristotelicorum qui ferebantur librorum fragmenta (Lips. 1886).

[76]) Possunt aliquo modo comparari verba, quae exstant p. 142, 8 sq. cum Pol. 1344ª 8 sq. et quae leguntur p. 144, 10 sq. cum 1344ª 12 sq.

[77]) Conf. Vogel l. c. p. 80.

doctrinae Christianae quasi lineamenta indicantem redoleant[78]). Quam in sententiam equidem ea accipienda esse existimo, quae de matrimonio sanctissime reverendo, quippe quod coram deis initum sit, explicantur (p. 143, 23 sq.), aeque atque ea, quae de duplici timoris specie (p. 144, 25 sq.) traduntur. Tantum igitur abest, ut tertius q. d. Oeconomicus cum primo coniunctus sit atque cohaereat, ut pro peculiari libro prorsus ab illo disiuncto habendus sit, quem eundem esse atque librum, qui inscribitur „*νόμοι ἀνδρὸς καὶ γαμετῆς*“ adstipulantibus Susemihlio (praef. ed. p. XXI, hist. litt. Graec. I, 159 not. 831) atque Christio (hist. litt. Graec. p. 417) Roseus ingeniose coniecit[79]).

Hic quaerat quispiam, quo iure in Oeconomicorum numerum libellus noster referatur. Si vero reputaverimus, quid de variis oeconomiae partibus et Xenophon et Aristoteles docuerint quaeque argumenta Stobaeus florilegii capite LXXXV sub titulo „*οἰκονομικός*“ coniunxerit, cuius capitis maiorem partem quaestionibus maritalibus praeceptis illis a Plutarcho traditis haud dissimilibus contineri probe scimus[80]), optimo iure in numerum Oeconomicorum opusculum nostrum lepidissimum adscribi non dubitabimus affirmare.

Sectae Peripateticae asseclae, ut temporis ordinem servemus, quid de arte oeconomica in universum iudicaverint, ex eis satis cognoscimus, quae Stobaeus *ἐκλογῶν ἠθικῶν* capite sexto septimoque (vol. II, 91—95 ed. Mein.) Didymum Arium secutus, quae est eorum, quos posse iudicare arbitror, sententia, brevi in conspectu posuit. Quod argumentum cum eiusmodi sit, ut sectae conditoris celeberrimi vestigia nusquam non appareant, paucis rem me absoluturum esse spero. Ac de primordiis quidem civitatis a domo sive familia repetendis eadem fere ratione disputatur atque ab Aristotele ipso, eodem

---

[78]) Conf. Zeller l. c. III. 1, 247 et Wetzsteinii commentationem, cui titulus est: die wandlung der stoischen lehre unter ihren späteren vertretern, progr. Neostrelic. (1893) part. II, 17 sq.

[79]) Aristot. pseudepigr. p. 180 sq., de Aristot. libr. ord. p. 61.

[80]) Conf. huius dissert. p. 43 sq.

plerumque verborum ordine servato; conf. Stob. l. c. p. 91, 24 sq. cum Pol. 1252^{a} 26 sq. et 1260^{b} 8 sq. Neque Aristotelis scrinia non compilavit quicunque de variis reipublicae formis disseruit cum rationibus eis comparatis, quae inter singulas familiae personas intercedunt; conf. Stob. l. c. p. 92 cum Pol. 1259^{b} 10 et 1260^{a} 9 sq.[81]). Deinde ut ex eis, quae de generatione generisque humani stabilitate (*τῇ τοῦ γένους διαμονῇ*) dicuntur, haud difficulter magistri placita agnoscuntur, ita simili atque apud Aristotelem modo (1254^{a} 14 sq.) de servis agitur discriminis illius, quod est inter servos *φύσει* et *νόμῳ*, ratione habita. Praeterea quod scriptum legimus dominationem domesticam penes maritum esse debere, utpote qui *οἰκονομικῇ φρονήσει* praeditus sit (p. 92, 16 sq.), id Aristoteli quoque persuasum esse (conf. 1254^{b} 13, 1260^{a} 12 sq.) nemo est, qui nesciat. Denique patrem familias multarum rerum velut *γεωργίας, προβατείας, μεταλλείας* peritum esse debere, ut officiis rite fungatur[82]), imprimis ~~praecipue~~ eis, quae spectent ad quaestum faciendum, qui quidem honestus sit ac liberalis, eum in modum explicatur, ut Stobaei verba a verbis Aristotelis ipsius admodum nihil differant. Sed satis de his; quae sequuntur (l. c. p. 93, 5 sq.) quoniam ad solam politicam artem spectant, non est, cur amplius hanc libelli partem respiciamus.

Neque vero in solis Peripateticorum placitis percipiendis Stobaeo auctore locupleti et copioso utimur, sed etiam ad Stoicorum decreta accuratius cognoscenda cum fructu ex eodem fonte haurimus[83]).

Qui philosophi cum id ante omnia agerent, ut ad vitam recte instituendam agendique cum domi tum foris normas intentionem omnem dirigerent, fieri non potuit, ut quaecunque ad artem oeconomicam spectarent, a se aliena esse censerent[84]). Quam rem ita se habere Laertius Diogenes[85]) sescentis locis

---

[81]) Vide Zeller l. c. II. 2, 689 not. 1.

[82]) Conf., ut quanta sit sententiarum verborumque similitudo cognoscas, Stob. l. c. p. 92, 1 cum Pol. 1253^{b} 8 sq.

[83]) Conf. Susemihl h. l. Gr. I, 48—87.

[84]) Conf. Zeller l. c. III. 1, 189 sq., 272 sq.

[85]) Conf. e. gr. VII, 19 sq.

testatur, qui moralem philosophiam summa cum industria a Stoicis excultam esse memoriae prodit.

Et ad oeconomicam quidem artem quantum attinet, haec placita eorum videntur fuisse.

Ars oeconomica in dispositione circa sumptus, opera, rem familiarem sive opes et in eorum, qui ruri opus faciunt, cura versatur[86]). Quae ars quanto in honore sit, evidenter et dilucide verbis huic definitioni proxime antecedentibus comprobatur, e quibus solum sapientem oeconomum bonum esse et rei familiaris administrandae gnarum et quaestus faciendi peritum intellegitur. Artem oeconomicam ipsam et contemplativam esse Stoici docent et activam circa eas res, quae ad rem familiarem augendam conferant. Quae ars et χρηματιστική quam arte inter se conexae et aptae eis videantur esse, quas notiones ipse Aristoteles, modo quaestus sit honestus, communi quasi vinculo quodam coniunctas esse perhibet, ex interpretatione vocis „χρηματιστική“ sequitur. Placet enim Stoicis hanc artem versari in facultatibus ex eis, quae cuique opus sint, parandis atque, qui est omnium consensus, in opibus colligendis, custodiendis, ad vitam vitalem adhibendis. Licet in dubio relinquendum sit, utrum ars quaestus faciendi media (μέση) an urbana (ἀστεία) sit existimanda, solum sapientem aptum esse arbitrantur ad quaestum honeste faciendum, quippe qui solus unde, quando, qua ratione, quatenus quaestus sit faciendus, probe cognoverit. Quibus placitis ad rem domesticam ac familiarem spectantibus reliqua sectae Stoicae placita ad amussim fere respondent. Satis enim multi reperiuntur loci, quibus τὸν νοῦν ἀσχολεῖσθαι περὶ τὴν διάθεσιν τῆς χρείας[87]) viro sapienti neutiquam indignum iudicari eisque rebus, quae extrinsecus sunt, licet in rebus in confinio bonorum et malorum sitis (ἐν ἀδιαφόροις) numerentur, tamen aliquod pretium a Stoicis tribui appareat; tantumque abest, ut Stoici, quae est Cynicorum opinio, rem familiarem, opes, uxorem, liberos res spernendas ac neglegendas esse censeant, ut a philosopho, ut-

[86]) Stobaeus ecl. ethic. II, 6, 188 sq. (vol. II p. 51 ed. Mein.).
[87]) Laert. Diog. VII, 123.

pote sociali per naturam animali atque actione gaudente (Laert. Diog. ibid.), eas res non alienas esse existiment, quibus homo sapiens non prohibeatur, quominus ad eum, quem sibi proposuit vitae finem, ad *εὐδαιμονίαν* perveniat.

Ceterum quid de re domestica Stoicorum principes sentiant, ex ipsius Zenonis verbis intellegitur, quae Laertius Diog. respicit, cum ait (l. c.): *καὶ γαμήσειν (τὸν σοφόν), ὡς ὁ Ζήνων φησὶν ἐν Πολιτείᾳ, καὶ παιδοποιήσεσθαι,* quae sententia accuratius explicata apud Stobaeum exstat ecl. ethic. II, 6, (186) (p. 51 ed. Mein.). Neque a re erit Zenonis verbis Antipatri Tarseni, philosophi eidem sectae adscripti[88]), dictum addere, quod ab eodem Stobaeo flor. LXVII, 25 (vol. III p. 11 sq. ed. Mein.) memoriae proditur: *τέλειος οἶκος καὶ βίος οὐκ ἄλλως δύναται γενέσθαι ἢ μετὰ γυναικὸς καὶ τέκνων.*

Iam vero quod Zellerus[89]) ait Stoicos posterioris quidem aevi adamavisse philosophandi rationem vel ad simplicissimas vitae condiciones accommodare haud scio an nullius exemplo luculentius confirmetur quam Musonii Rufi[90]), quem imperatoribus Nerone et Vespasiano Romae philosophiam non sine laude professum esse constat[91]). Qui fidelissimus disciplinae Stoicae interpres quam animo suo informaverit sententiam de re domestica administranda, optime ex eis elucet, quae Stobaeus floril. LXXXV, 20 (vol. III p. 147 ed. Mein.) de supellectile (*περὶ σκευῶν*) eum docentem facit. Cuius commentationis argumentum hoc fere est.

Omni luxuriae genere necessarium vitae usum mediocritatemque transeunte utpote supervacuo et futtili reprehenso eam supellectilem, quae et facillime comparari et optime adhiberi et commodissime servari possit, eligendam, quae secus comparata sit, spernendam esse contendit. Quam sententiam postquam exemplis nonnullis ab usu vitae petitis illustravit, nisi

---

88) Conf. Susemihl, hist. lit. Gr. I, 84.

89) l. c. III. 1, 254 sq.

90) Ne quae, quippe unius quasi corporis membra, iungenda sunt, seiungantur, Stoicae sectae antistites Musonius sequitur, qui ex eodem grege se esse profitetur.

91) Zeller l. c. III. 1, 652 sq.

ignorantia non fieri asseverat, ut vulgus, quae pretiosa atque sumptuosa sint, sectetur eisque, quae mediocria sint et vilia, anteferat. Verba illa legenti cui non in mentem veniunt quae de ἀγνοίᾳ, malorum omnium stirpe, Stoici Cynicorum exemplar secuti docuerunt[92])? Quibus praeceptis quo maius pondus afferat auctor, ad simplicitatem atque sinceritatem aetatis Lycurgeae aequales suos delegat, qua nulla opibus aut dignitate magis floruerit. Cuius saeculi mores ut imitandos proponit, ita omne luxuriae genus fugiendum esse censet, quippe e qua non solum intemperantia sed etiam iniustitia et ignavia nascantur vitiorumque innumerabilis series; quibus vitiis qui obnoxius sit, eum neque eis officiis, quae deis praestare debeat, neque eis, quae cives, amici, respublica ab eo exigant, fungi posse. Quae placita praeceptis eis, quae Xenophon tradit, haud dissimilia[93]) si animo nobiscum reputaverimus, facere non poterimus, quin Zellero l. c. III. 1, 658 assentiamur, qui Musonium morum simplicitatis adeo studiosum esse ait, ut ad Cynicae sectae rationes proxime accedere videatur.

Hic continuo subiungendum est studiorum ab Epicureis in arte oeconomica collocatorum iudicium, quamquam verum est disciplinas Epicuri et Zenonis, diversis quasi itineribus ad σκοπόν pervenire temptantium, inter se admodum contrarias esse. Sed in maxima varietate paria fere studia, quod attinet ad philosophiam moralem, eas excitasse probe scimus[94]).

Sectae Epicureae conditor ipse dogmatum suorum vim auctoritatemque in ipsis dogmatis inesse ratus, quamvis a subtiliore atque accuratiore argumentandi ratione abhorruisse videatur, tamen in contubernio Epicureorum tanta auctoritate usus est, ut fundamenta doctrinae magistri auspiciis iacta ab asseclis eius τῶν δογμάτων μεμνημένοις immutata fere non

---

[92]) Conf. Stob. ecl. ethic. II, 6, 122 sq., (vol. II p. 35 sq. ed. Mein.) Laert. Diog. VII, 93.

[93]) Vide huius dissert. p. 17.

[94]) Conf. quae de hac re rectissime monuit H. Sauppius in commentatione: Philodemi de vitiis lib. X (Lips. 1853) progr. gymn. Vimarani, p. 4 sq.

sint[95]). Cuius doctrinae qualia sint extrema quasi lineamenta, Laertius Diogenes nos docet. Sed ad quaestionem nobis propositam quod attinet, non magis *κύριαι* illae *δόξαι*[96]), moralis doctrinae epitome, respiciendae sunt quam epistula ea, quae tertio inter huius generis reliquias loco servatur (l. c. 122—135). Qua epistula ad Menoeceum data, quamquam artis oeconomicae ipsius disertis verbis ab auctore eius mentio non fit, tamen non indigna est, cuius rationem habeamus, cum praecepta in ea insint oeconomo bono nequaquam negligenda.

Atque in universum quidem non voluptates luxuriosorum hominum easque, quae in sensibus delectandis positae sint, finem vitae esse auctor iudicat (131), sed non dolere corpore, perturbatione vacare, tranquillum esse; neque eos, qui ventris voluptates sequantur, edendo, potando, Veneris illecebris tempus fallentes, vitam beatam ac vitalem vivere, sed qui sobria potius ratione causas, cur quaeque aut eligenda aut fugienda sint, perscrutentur. Ut autem bonorum caput atque principium prudentiam (*φρόνησιν*) esse ei persuasum est, ita iucunde vivere posse negat quemquam, nisi idem prudenter et honeste vivat[97]). Atque prudentia cum ratione et intelligentia coniuncta quam necessaria sit oeconomo bono, quippe penes quem omnis rei domesticae administratio sit, quis est, qui nesciat?

Neque a re erit ea apponere verba, quae e Diogenis, philosophi cognominis, Electis Laertius citat (l. c. 120), qui minime dedecere sapientem censet opibus temporive futuro providere, cum dicit: *τὸν σοφὸν καὶ κτήσεως προνοήσεσθαι καὶ τοῦ μέλλοντος* e. q. s., quae verba sectae Epicureae asseclas rem domesticam a se alienam non putasse manifesto ostendunt, quamquam, quae est Sauppii l. c. p. 5 sententia, negotia publica et tumultus civitatis animos eorum adeo non allexisse videntur, ut Epicureorum quoque res nos doceant sensum illum, quo suam salutem publica contineri atque ita demum, ut partem aliquam civitatis efficerent, se existere singuli existimarent, iam pridem exolevisse et intermortuum esse.

---

[95]) Vide Zeller l. c. III. 1, 354 sq.

[96]) l. c. X, 139—154.

[97]) Laert. Diog. l. c. 140, Cicero de fin. I, 18, 57.

Reliqua Epicureorum placita moralia, cum ad eam, quam nobis proposuimus, quaestionem nihil fere conferant, ad eum transimus scholae Epicureae sectatorem, quem diligenter et subtiliter de rebus oeconomicis egisse Philodemus *περὶ κακιῶν* l. IX, col. XXVII (Goettl. p. 64) testis est, Metrodorum dico Lampsacenum, paene alterum illum Epicurum. Neque cuiquam librorum philosophi titulos a Laertio Diog. (X, 24) servatos perlustranti dubium esse potest, quin solus 'de divitiis' tractatus in censum veniat[98]). Quod cum per se satis patet, tum Philodemi ad librum illum delegantis (l. c. col. XXII) auctoritate confirmatur. Qui locus quamquam lacunose mutileque se habet, tamen postquam Schoemannus emendatrices manus vitiis tollendis admovit, quid sibi voluerit auctor, coniciendo nos posse consequi non desperandum esse existimo. Ut dicam, quae mea sit sententia: Metrodorum, ut Cynicorum, philosophorum a divitiis opibusve animo alienissimorum, rationes refutaret, docuisse suspicor tantum abesse, ut homini sapienti divitiae sollicitudinem afferant, ut rei familiaris cura et administratio vitam iucundissimam et beatissimam reddat. Quoniam autem alterius quoque Epicuri chartas aetas nobis invidit, in coniectura quidquid de eo iudicetur positum sit necesse est.

Sed ex parte detrimentum, quod in ea re cepimus, libello resarcitur Philodemi Gadarensis, philosophi Epicurei, in ruderibus Herculanei oppidi reperto, cui titulus est: *περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀντικειμένων ἀρετῶν ἐν οἷς εἰσι καὶ περὶ α̅.* Cuius voluminis ab auctore prorsus experti elegantiae confecti condicio quamvis tristis sit et iniqua — quotiens in papyro illa misere semiustulata et in cinerem prope conversa sententiae lacunis ingentibus interceptae nobis occurrunt, quotiens in verba foliorum Sibyllae instar subobscura sive potius in litteras ad intellegendum non apertas incidimus! —, tamen qualia fuerint sectae Epicureae placita ad oeconomicam quidem artem spectan-

---

[98]) Num eiusdem philosophi singularis *περὶ οἰκονομίας* libellus exstiterit, ipse Dueningius, qui titulum illum investigando repperisse sibi videtur (de Metrodori Epicurei vita et scriptis p. 21), in dubio relinquendum esse censet; conf. Susemihl, hist. litt. Graec. 1, 99 not. 449.

tia, qualecunque de auctore libelli iudicium facimus[99]), *μέχρι μικροτέρων* (col. XXVII, Goettl. p. 64) coniectura aliquo modo assequi possumus.

Voluminis a Philodemo confecti argumentum quale sit, enarrare longum est, quoniam Fr. Javaronius textum q. d. praefatione commentarii perpetui instar ornavit[100]) locisque difficilioribus et explicandis et illustrandis Goettlingius l. c. p. 187 sq., Schoemannus[101]), Spengelius[102]) ita operam navaverunt, ut, quantum quidem fieri possit, textus egregie videatur restauratus esse. Quae cum ita sint, equidem qua philosophandi ratione libelli auctor usus sit, satis habeo paucis perstringere.

Duabus ex partibus Philodemi libellus constat, quarum priore (col. I—VII) primum in Xenophontis Oeconomicum inquiritur, deinde de Theophrasti sive personati Aristotelis libro (col. VII —XI) censura fit atque ita quidem, ut adversariorum opiniones argumentis tritis, vulgaribus, absurdis impugnentur; posteriore parte (col. XII sq.), quae sit auctoris ipsius vera sententia, explicatur. Quae pars quamquam maioris pretii est quam prior illa, id quod per se patet, tamen ne haec quidem indigna videtur esse, in qua cognoscenda studium ponamus, quoniam ex eis quoque, quae ipsi artem criticam exercenti non probabilia videntur, vera eius sententia apparet.

Ac primum quidem Xenophonti oeconomum non solum suam ipsius rem familiarem sed etiam alienam bene administrare debere contendenti, cum oeconomiam a philosopho non rem ordinariam sed quasi subsicivam quandam existimari velit[103]), obloquitur, cum dicit oeconomi nomine neminem dignum esse nisi qui suam ipsius rem domesticam ita administrare noverit,

---

[99]) Conf. Sauppium l. c. p. 4, cuius sententiam Hartungius, translat. (Lips. 1857) p. 5, impugnat.

[100]) Vide editionem Goettlingii p. 151 sq.

[101]) Opusc. acad. III p. 233 sq.

[102]) In commentatione, quae inscribitur: Aristotelische studien III, zur politik u. ökonomik, inserta vol. XI ser. III (p. 124 sq.) Act. acad. reg. Bavaricae (Monach. 1868), qua coll. VII—XII repetitis curis et eduntur et examinantur.

[103]) Vide quae Hartungius translat. p. 36 adnotat ad col. XII, 24 (Goettl. p. 49).

id quod ad cognoscendam veram philosophi Epicurei sententiam plurimum confert, ut bene atque beate vivat. Deinde disertis verbis ab arte oeconomica, quae in sola acquisitione et custodia opum versatur (col. XII, 14 sq.), distinguitur ars quaestus faciendi (*χρηματιστική*), quam ad cumulandas dumtaxat divitias spectantem in numerum *ἀδιαφόρων* referendam esse censet. Neque vero cum Xenophonte, quem probe scimus uxoris in administranda re familiari industriam non diversam a mariti existimare sed *ἰσόρροπον* (Oec. III, 15), idem sentit Philodemus. Is enim, en fidissimus doctrinae Epicureae interpres, uxorem neque necessariam neque utilem esse non dubitat affirmare. Quod iudicium ne admirationem moveat, non vereor, cum alia quoque Xenophontis praecepta permulta ad res domesticas ex ordine dispensandas spectantia, quasi philosophi *καθ' ὕπνον δοξαζομένου* placita, ut vana et superflua ab illo derideantur. Cum autem beatam vitam etiam sine uxore vivi posse sibi persuaserit, ea quoque, quae Aristoteles personatus de matrimonio liberorumque procreatione exponit, ut inepta et puerilia ab eo deluduntur. Subtiliorem vero in quaestionem vocatur, quomodo homo sapiens oeconomiam subsicivis studiis colens divitias et possidere et custodire debeat, cum, quae est sententia eius, oeconomus nemo dici possit, qui divitias, ipsas dumtaxat incommoda inutilia non afferentes (l. c. col. XIV, 7 sq.), sponte abiciat; quibus, modo ne haereat in animo invidia insatiabilis, desiderium inexplebile, anxietas perpetua, tantum abest, ut sapientis vita ulla afficiatur molestia, ut serena fiat ac tranquilla. Neque enim philosophus divitiis totum ita se tradet, ut, tempora si fuerint nubila, de salute ei desperandum sit; immo a nimio accumulandi opes studio alienus paucis erit contentus et in tenui pauperculoque victu acquiescet, cum naturam ipsam paucis contentam esse non ignoret (l. c. col. XVI, 1 sq.). Atque magistri praecepta[104]) quam diligenter et religiose Philodemus respexerit, ea verba docent, quibus de usu ex amicis in oeconomiam redundante agitur. Fideles enim amicos et optimos et certissimos bonorum custodes esse ait (l. c. col.

[104]) Laert. Diog. X, 148.

XXIII, 12 sq.) beneficia in probos amicos collata fructuosiorem possessionem esse existimans quam agrum bene cultum. Quo fit, ut amicis plurimum auctoritatis tribuat et consilia eorum in procuratoribus et famulis eligendis aliisque negotiis gerendis audienda esse censeat (l. c. col. XXVI. 5 sq.).

Haec habui de Philodemi libello quae dicerem; eos enim locos, quibus de arte quaestus faciendi fuse lateque disputatur, cum plane alieni sint ab huius disputationis instituto, omitto.

Sed quoniam in harum rerum explicatione satis copiosus fuisse mihi videor, nunciam quid de arte oeconomica ei philosophi iudicaverint, anquirere in animo habeo, qui certae sectae nulli addicti ex decretis eis temporibus, in quae aetas eorum incidit, fixis ratisque, quidquid iudicio arbitrioque commodissimum videretur (*τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων*)[105]), elegerunt.

Inter eos autem, qui cum universam philosophiam tum singulas eius partes eclecticam rationem secuti tractaverunt, Didymus Arius qui nominetur propterea maxime dignus est, quia Stobaeus, quae est Meinekii haud vana coniectura[106]), totam de morali Stoicorum et Peripateticorum doctrina disputationem ex satis amplo opere, quo Didymus universam Graecorum philosophiam explicaverat, videtur duxisse[107]).

Qui quam fideliter, quod ad artem oeconomicam attinet, Aristotelem secutus sit, licet terminis Stoicae doctrinae technicis inhaereat, ex eis, quae supra de Peripateticorum placitis Stobaei eclogis insertis disputavimus, satis intellegi potest.

Atque in numero eorum philosophorum, qui non uni sectae addicti erant, etiam Dio Prusaensis, qui vocatur Chrysostomus, habendus est, homo Graecarum litterarum et studiorum amantissimus et peritissimus, quem Schoemannus opusc. acad. III, 208 adn. 9 auctorem Oeconomici illius esse acute et ingeniose coniecit, e quo fragmenta nonnulla Stobaeus excerpsit.

---

105) Laert. Diog. prooem. 21.

106) Adnot. critica ad Stobaei physica et ethica vol. II, p. CLV.

107) Copiosius de Didymo Mullachius disputat fr. phil. Gr. II p. L sq.

Cui coniecturae haud quaquam contemnendae[108]) nescio an fides eo concilietur, quod et Dionis veri orationes Cynicam sapientiam produnt et fragmenta illa a Stobaeo servata auctorem sectae illius ratione et indole instructum esse suspicionem movent[109]). Sed spinosa haec est quaestio difficiliorque, quam ut paucis possit diiudicari, cum et fragmenta illa pauca tam brevia sint, ut longior sententiarum series fere non oriatur et philosophus ille adeo non utatur suo in quaestionibus philosophicis iudicio, ut sequatur sententias communi fere omnium illius aetatis hominum eruditorum sensu probatas[110]).

Ac primo quidem fragmento (Stob. flor. XLII, 12, vol. II, 78 ed. Mein.) rem domesticam maxima incrementa capere auctor asserit poena pro calumniis criminibusve falsis rite sumpta; qua in re haud scio an cogitandum sit de obtrectationibus adversus maritos a mulieribus malevolis proficiscentibus[111]); altero (Stob. LXII, 46; vol. II, 366 ed. Mein.), quo vilicos (*ἐπιτρόπους*), ut operariis a laboribus continuis respirationem dent, adhortatur, quo facilius opus exigant, egregium humanitatis specimen dat, non immemor praecepti illius, quod exstat in Oeconomico Xenophontis (XIII, 10) cum Aristotelis personati (1344^b 7) sententia quodammodo concinentis; tertio (l. c. LXXIV, 59; vol. III p. 62 ed. Mein.) in uxoris erga maritum amore sanctitatem mulieris positam esse contendit; quarto (ibid. 60) assiduum effusumque risum hominem decere negans lacrimas vultui decori maiori esse affirmat quam risum, quoniam flendo homo improbus ad scelus admittendum non excitetur, ridendo spes eius

---

[108]) Alia est sententia L. Dindorfii, Dionis orat. praef. p. V, qui utrum Chrysostomi an alius Dionis sit Oeconomicus, in dubio relinquendum esse censet. J. de Arnim, qui novam Dionis editionem paravit (Berol. 1893), quid de auctore fragmentorum iudicet, nescio, cum alterum volumen, quo quaecunque ad Dionis vitam et scripta pertineant pertractare in animo ei est (vide prol. XXXVIII), adhuc desideretur.

[109]) Conf. E. Weber, de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore. diss. inaug. Lips. 1887 p. 85 sq.

[110]) Conf. Zeller l. c. III. 1, 729.

[111]) Conf. Plutarch. coniug. praecept. 40, vol. 1 p. 351 ed. Bern.

augeatur. Porro quod cum pudore[112]) σωφροσύνην gignere[113]) ait (l. c. LXXXV, 12; vol. III p. 138 ed. Mein.) — quid gignat prudentia, auctor reticet —, eas dicit virtutes, quae invicem natura consequentes ex illa ortae esse existimandae sunt. Cui loco haud scio an lumen afferatur verbis illis Ischomachi (Xenoph. Oec. VIII, 1), quomodo administrationis ac dispositionis rerum domesticarum praestantiam uxori demonstraverit, narrantis: *καὶ δηχθεῖσάν γε αὐτὴν οἶδα καὶ ἐρυθριάσασαν σφόδρα, ὅτι οὐκ εἶχέ μοι δοῦναι*[114]). Postremo (ibid. 13) necessitate partum fieri, ex amore educationem proficisci asserit.

Quamquam autem e reliquis Dionis operibus efficere possumus eum et in Cynica Stoicaque doctrina versatum esse (conf. E. Weber l. c. p. 82 sq.) et e Socraticis praecipue Xenophontem suspexisse, cuius suavitatem et nativam simplicitatem in dicendo eum prospere imitando effinxisse et expressisse constat, tamen rem incertam iniudicatam relinquam, quoniam ex eis, quae attuli, fragmentis parvulis ac levibus coniectando nullo modo assequi possumus, qualis philosophandi ratio universa auctoris fuerit.

Neque praetereundus est hoc loco Alcinous, auctor tractatus, cui titulus est *εἰσαγωγή* sive *διδασκαλικὸς τῶν Πλάτωνος δογμάτων*[115]), ad cognoscenda Platonis placita philosophica quae necessaria videantur esse, continentis. Qui quamvis ipse Platonicum se profiteatur, Peripateticorum more[116])

---

[112]) Quod Stephanus vocem „δυσώπημα“ significatione ea, qua remedii vox usurpetur, loco nostro dictam sibi videri ait (thes. Gr. ling. s. v.), quid sibi velit, me ignorare fateor.

[113]) Activa significatione ex communi verborum usu vocem „τέκνωσις“ accipiendam esse censeo.

[114]) Neque a re videtur esse, ut huic dicto ob brachylogiam obscuriori lux affundatur, conferre quae Rueckertus noster canit in libro qui inscribitur: weisheit des brahmanen (poët. werke VIII, 162): „von allen tugenden ist scham genannt mit recht die mutter; keine hat so blühend ein geschlecht, die tugendmutter . . . sie ehre!“; de matre virtutum quae fuerint philosophorum Graecorum sententiae, e Neandri ad Nili episcopi praecept. 186 adnotatione intelligitur; conf. Orelli. op. Gr. vet. sentent. I, 643 sq.

[115]) Platonis dialogi ed. C. F. Hermann vol. VI, 152 sq.

[116]) Conf. Laert. Diog. V, 28.

philosophiam practicam tripartito in ethicam, oeconomicam, politicam dividi vult. Oeconomicae artis ipsius, cum multus sit in praeceptis ad ethicam et politicam spectantibus, ne uno quidem verbo mentionem facit.

Sed verendum est, ne conspectus, quem de philosophorum Graecorum studiis oeconomicis dare animum induximus, non integer existat, si Plutarchi Chaeronensis, philosophi Xenophontis, Platonis, Aristotelis dogmatis initiati, mentionem non fecerimus, cuius Coniugalia praecepta[117]) ad artem oeconomicam illustrandam maximi momenti ac ponderis esse nemo est, qui infitietur. Cum vero, quae est Plutarchi disputandi ratio, ordo certus in praeceptis dandis non servetur, argumentum grave rerumque plenum ita respiciendum esse existimo, ut eis, quibus par est, locis, quae intercedat Plutarcho cum scriptoribus de eadem re disserentibus similitudo, commemorem[118]).

Restat, ut de eis libellis, quantum ex re est, agamus, qui Pythagoreorum antiquissimorum nominibus addicti florilegioque (LXXXV) a Stobaeo inserti ad nostram usque aetatem pervenerunt[119]). Tantum autem abest, ut fragmenta illa Dorico sermone conscripta, de quorum origine, fide, auctoritate vetus est controversia — auctores eorum aut primo saeculo ante Chr. aut primo post eum fuisse verisimile est —, rationem atque naturam sapiant doctrinae vere Pythagoricae, quippe quae tam seris temporibus parum cognita sit, ut veritatum communium quasi corpus quoddam efficiant, quibus rationes ethicae Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum symbolico Pythago-

[117]) Plut. moral. vol. I, 337 sq. ed. Bern.

[118]) Conf. huius dissert. p. 31, 41, 45, 47, 48.

[119]) Conf. Orelli, opusc. Graec. vet. sentent. II, 281—361, Mullach, fr. phil. Gr. II, 9—37. Diligentissime de hac re disputavit F. Beckmannus in quaestionum de Pythagoreorum reliquiis parte priore (Berol. 1844). Praecepta ea, quorum mentionem facit Iamblichus de Pyth. vita IX. 47, XVII, 72, XXI, 100, XXX, 168, aliis locis multis, cum aut ad privatam magistri oeconomiam vitaeque rationem aut ad officia consortii Pythagoreornm discipulis solis exsequenda spectent, ad oeconomiae universalis rationem illustrandam nullius fere momenti existimanda esse iudico.

reorum doctrinae generi accommodatae illustrantur[120]). Quod quo facilius intellegi possit, sententias eas, quae maximi pretii mihi videntur esse, quatenus ad quaestionem nostram quadrant, explicare conabor.

Initium faciamus, ut ordinem a Stobaeo servatum teneamus, a Brysone, cuius de aetate atque persona, cum plures philosophi cognomines videantur exstitisse (conf. Beckmann. l. c. p. 11), nihil constat[121]). Quod exstat fragmentum ex libello, qui inscribitur *Οἰκονομικός*, servatum (Stob. l. c. 15), quamvis ipsum magni momenti non sit, tamen qualis sit auctoris de servorum condicione sententia, quantum quidem ad partem fragmenti priorem attinet, satis ex eo intellegi potest.

Quod in tria genera servi ab eo dividuntur: qui *κατὰ φύσιν*, qui *κατὰ νόμον*, qui *κατὰ τρόπον τᾶς ψυχᾶς* servi sint, is mihi videtur recte iudicare, qui Peripateticorum maxime vestigia hic agnoscenda esse existimat. Servum enim aliquem esse aut *κατὰ φύσιν* sive *φύσει* Aristotelem (Pol. 1252ª 32 sq., 1254ª 17 sq.) aut *κατὰ νόμον* (ibid. 1255ª 3 sq.) disertis verbis docere constat; a Stoicorum ratione, quippe qui legitimum esse negent servitutis genus ullum, Brysonis sententiam alienam esse non habeo, quod pluribus verbis exponam; ad tertium vero servorum genus quod attinet, auctoris sententia referenda est ad Cynicae philosophiae *τόπον* illum saepissime tractatum[122]).

Idem fere iudicium faciendum esse censeo de Callicratidae, cuius mentionem apud antiquos frustra quaesiveris, dogmatis in libello, cui titulus est: *περὶ τᾶς τῶν οἰκηίων εὐδαιμονίας* explicatis (Stob. l. c. 16, 17, 18).

---

[120]) Vide Susemihl, hist. litt. Gr. II, 329, cui viro docto fragmenta ipsa quae commemorentur adeo non digna visa sunt, ut ne de titulis quidem eorum rettulerit.

[121]) Non enim audiendus est Iamblichus de vita Pythag. XXIII, 104.

[122]) Conf. A. Mueller, de Antisthenis vita p. 48, E. Weber, de Dione Chrysost. p. 91, Joël., l. c. p. 360, 499; Vogel l. c. p. 43 not. 2; cui rationi consentanea sunt, ut alia omittam, quae leguntur apud Xenophontem Oec. I, 17 sq., Memor. IV. 5, apud Platonem reip. IX, 577 D, 587 C, 590 C, Politic. 289 D, 309 A, Lys. 208—211, apud Aristotelem 1254ᵇ 20; conf. etiam Stob. flor. LXII *(περὶ δεσποτῶν καὶ δούλων)*.

Genuinae enim atque verae doctrinae Aristotelicae vestigia symbolis illis Pythagoreorum mixtae in eis mihi videor agnovisse. Quid? quod familiam, coniunctum cognatorum coetum, ad unum aliquid idque optimum compositum, ad communem utilitatem referendam esse libelli auctor censet, non immemor sententiae illius ab Aristotele multis modis explicatae, velut Pol. 1252ª 1 sq., 1278ᵇ 19 sq., 1280ª 31 sq., 1282ᵇ 14 sq. Deinde domus sive familiae partes eadem atque ille ratione definit, cum trita illa comparatione a natura hominis petita — hominem cum anima confert, res sive facultates cum corpore — utatur. Neque minus Peripateticorum rationem resipit id, quod de partibus marito et uxori in rei familiaris administratione tribuendis iudicat, cum mariti imperare, uxoris esse parere dicit; his consentanea sunt quae leguntur apud Plutarchum coniug. praec. 11, 33 (vol. I, 340, 348 ed. Bern.). Postremo, ut alia, quae minoris pretii sunt, omittam, ad amussim praeceptis Aristotelicis respondent, quae de optimo disciplinae domesticae genere traduntur; quod enim auctor libelli ἀρχὴν πολιτικήν, utpote in qua salus communis tam eorum, qui imperent, quam qui eis pareant, nitatur, commendat δεσποτικῇ ἀρχῇ et ἐπιστατικῇ spreta, non dubito, quin verba ei obversata sint philosophi Stagiritae in eandem fere sententiam disputantis de ἀρχῇ triplici patri familias tribuenda Pol. 1259ᵇ 1 sq. et 1278ᵇ 33 sq. Quod autem in eligenda uxore id spectandum esse censet, ut pro suis quisque facultatibus matrimonium ineat neve mulierem ipso superiorem opibus neve inferiorem ducat[123]), musici mediam vocem constituentis exemplum secutus, quis est, quin Aristotelem[124]), mediocritatis sive medietatis utique laudatorem, se audire arbitretur, cuius iudicium unanimo omnium consensu probatum fuisse ex eis apparet, quae L. Schmidtius l. c. II, 166 sq. argumentis et rationibus nos docet.

[123]) Quae sententia vulgata et proverbialis eisdem fere verbis assignata *(γαμεῖν ἐκ τῶν ὁμοίων)* ex decantatis Cleobuli illius, philosophi Lindii (Laert. Diog. I, 92, Stob. floril. III, 79; vol. I p. 87 ed. Mein.), fuisse dicitur; conf. etiam Stob. l. c. LXVIII, 1; vol. III p. 15, et Plutarch. de liberis educandis 19; vol. I p. 31 ed. Bern.

[124]) Ex Pol. e. gr. hos appono locos: 1295ª 37 sq., 1297ª 6 sq., 1342ᵇ 34.

Neque vero desunt, quae ex aliis fontibus hausta esse videantur: quae de animae partibus auctor disputat, ea Platonicam originem prae se ferre existimo, cum eaedem partium animae significationes occurrant atque apud Platonem Phaedr. 246 B, (253 D) 247 C, reipubl. 436 A, 439 D. Quod autem animam pro numero habet, Pythagorae eiusque sectatorum, cui Platonem multa debuisse reputare nos convenit (conf. Porphyr. de vita Pyth. c. 53), exemplar ei videtur obversatum esse, quem eandem opinionem sibi informasse numerumque habere omnia, quae sub sensus cadant, iudicavisse testimonia exstant plurima[125]).

Quoniam diximus de Callicratida, iam de Perictiona Pythagorea, de qua praeter nomen et librorum, quos scripsisse fertur, reliquias (Stob. l. c. 19; vol. III, 144 sq. ed. Mein.) nihil memoriae proditum est, eiusque praeceptis dicendum est, quae mulieribus *ἁρμονίας* (concinnitatis) laudem appetentibus dat; quae unde deprompta sint, quo facilius intellegas, argumentum commentationis paucis exponam.

Ac primum quidem mulier Pythagorea eas virtutes laudibus celebrat lyrae omnibus fidibus conspirantis cum vita sibi consonante comparatione adhibita[126]), quibus concinnitatem effici sibi persuasit; quibus in enumerandis Stoicorum placita moralia ab ea respecta esse nemo est, quin videat. Temperantiam sive prudentiam si quis forte desideret, quartam illam perfectae consummataeque virtutis speciem (Laert. Diog. VII, 92, 102), verborum, quae sunt: *κρατέουσα ὦν ἐπιθυμίης καὶ θυμοῦ*, rationem habeat, quae verba, cum affinem voci *σωφροσύνης* habeant significationem, huius notionis vice optime fungi quivis facile concedet[127]). Quae virtutes ut rei familiari augendae saluti sint, ita quae eis opposita sint vitia perniciem ei afferre persuasum ei est. Neque difficulter Stoicorum disciplinam agnoscimus ex eis, quae de corpore, quomodo natura praescribat,

[125]) Stob. ecl. phys. c. 10; vol. I p. 80 ed. M.

[126]) Quae comparatio quam familiaris fuerit Pythagoreis antiquis, Euryphami apud Stob. flor. CIII (vol. IV p. 11 ed. Mein.) exemplum testimonio est.

[127]) Vide Stob. ecl. eth. II, 6 (106); p. 31 ed. Mein.

circa victum vestitumque instituendo et accommodando disputantur[128]); quae praecepta ad unum omnia ad supremam illam legem formata esse mihi videntur, ad quam omnem vitae degendae rationem Stoici referre solebant; qui philosophi quantum pretii vitae *κατὰ φύσιν, ὁμολογουμένως, ἀκολούθως τῇ φύσει* instituendae tribuerint, nemo est, qui ignoret. Eodem ex fonte quae sequuntur verba ad sumptus effusos, insanam libidinem, luxuriam immoderatam spectantia hausta esse existimo; neque minus Stoicorum doctrinam ea sapiunt, quae ad divitias, gloriam, generis nobilitatem, nugas alias animi tranquillitatem perturbantes spectant; conf. verba: *ἀναγκαῖα μὴ ἡγεέσθω* e. q. s. (vol. III, 146 lin. 4 sq. ed. Mein.) cum Laertio Diog. VII, 102, 106 atque cum Stob. ecl. eth. II, 6, 43. Postremo Stoicae doctrinae vestigia deprehendimus in ea adhortatione, quae versatur in deis parentibusque colendis; conf. Stob. l. c. lin. 14 sq.: *θεοὺς δὲ σέβειν* e. q. s. cum Laertio Diog. VII, 108. Quamquam igitur multa eaque non levia praecepta e Stoicorum philosophandi ratione derivari posse videmus, tamen cavendum est, ne omnia illo ex fonte originem trahere arbitremur. Insunt enim in libello Perictionae, quae notae illi Stoicorum gravitati ac severitati, etiamsi temporibus posterioribus morum mutationem factam esse concedamus[129]), adeo non respondeant, ut serioris admodum aetatis genium redoleant. Cuius generis ea potissimum esse existimo, quae de mulieris amore viri iniuriam ferente iniuriamque amore referente[130]) exponuntur (p. 146 lin. 22 sq.); quibuscum verbis conferre iuvat ea, quae in eandem fere sententiam explicata vidimus in versione illa, quae dicitur Aretini (conf. V. Rose fragm. p. 141, 13 sq.).

Perictionae libellum excipiat Phintyos, ipsius quoque Pythagoreae atque animo cum illa concinentis, dissertatiuncula, quae est *περὶ σωφροσύνης,* de temperantia sive continentia mulieris (Stob. flor. LXXIV, 61; vol. III, 63 sq. ed. Mein.).

Quam commentationem qui oculis attentioribus perlustra-

---

[128]) Conferenda sunt cum loco: *οὐδὲ χρίσεται πρόσωπον λευκαίνουσα.* Xenophontis verba Oec. X, 2.

[129]) Vide huius dissert. p. 31.

[130]) Consonat Plutarch. coniug. praec. 16; vol. I, 342 ed. Bern.

verit, facile sibi persuadebit, quae de muneribus domesticis inter maritum et uxorem distribuendis Socrates eiusque praecepta qui fideliter secutus est Xenophon disputavit Pythagoreae nostrae verbis cum repeti tum accuratius explanari. Alia enim ait opera domestica propria esse viri, velut *τὸ στραταγὲν καὶ πολιτεύεσθαι καὶ δαμαγωγέν,* alia mulieris, velut *τὸ οἰκουρὲν καὶ ἔνδον μένειν καὶ ἐκδέχεσθαι καὶ θεραπεύειν τὸν ἄνδρα,* alias virtutes communes et in medio quasi positas esse, velut *ἀνδρίαν καὶ δικαιοσύναν καὶ φρόνασιν*, atque ita quidem, ut in virum magis cadant fortitudo et prudentia, mulierem temperantia magis deceat; quae praecepta, quantum attinet ad sententias maxime ratas, ad Ischomachi colloquium illud a Xenophonte[131]) narratum formata esse facile adducor, ut credam. Copiosius deinde, e quot quibusque virtutibus *σωφροσύνας* notio composita sit, explicat causamque gravissimam temperantiae castitatem uxoris[132]) aliorumque virorum commercii vacuitatem esse ostendit[133]). Neque desunt verba maxime nervosa, quibus adulterium, quippe cuius delicti nullum inveniri possit piaculum, cavendum esse praemoneat; quae verba ipsa quoque insignem similitudinem sententiarum in libello, quem Aretinus transtulit, explicatarum prae se ferunt. Quibus expositis quae sit de ornatu corporis sententia, auctor aperit morumque simplicitatis ea quoque disputatione specimen egregium dat. Quae placita Plutarchi memoriam (coniug. praec. 19; vol. 1 p. 322 seq. ed. Bern.) referentia cum pleraque e Xenophonte petita sint (conf. Oec. VII—X), ne acta agam, singula enumerare mihi liceat supersedere.

Neopythagoreorum fragmenta quoniam perlustravi, ne qua pars a me relicta esse videatur, Porphyrii, philosophi haud parvae inter Platonicos auctoritatis, *ἐν παρόδῳ* mentionem facere in animo mihi est. Qui postquam epistula illa luculenta ad

---

[131]) Oec. VII.

[132]) Cui virtuti ut praestantissimae *σωφροσύνης* appellationem per excellentiam a quibusdam recte tribui Suidas s. v. *σωφροσύνη* suo iure monet.

[133]) Eiusdem plane argumenti sunt duo Sexti Pythagorei apophthegmata, enchirid. sent. 226 et 228 (op. Graec. vet. sent. ed. Orellius I, 259).

Marcellam coniugem data (c. XXV sq.)[134]) de tribus legibus, divina, naturali, civili disputavit (c. XXV), ad domestica etiam et familiaria praecepta se demittit (c. XXXV); sed pauca huius disputationis exstant verba, quibus uxorem, ne in servos iniuria sit, admonet ipsiusque exemplo animos eorum ad studium laboris accendit; reliqua, cum codex eo loco mutilus quidquid supererat lucubrationis amiserit, desiderantur.

Agmen denique eorum, qui de arte oeconomica egerunt, servato temporis ordine Hierocles, Plutarchi, Nestorii filii, discipulus claudit, qui commentationi suae, voluminis maioris, quae est Baehrii (encycl. Paulian. III, 1311) sententia[135]), „*τὰ φιλοσοφούμενα*“ inscripti particulae, indicem fecit Oeconomici. Qui libellus (Stob. flor. LXXXV, 21; vol. III p. 150 ed. Mein.) vel propterea non indignus est, in quo illustrando amplius versemur, quod argumenti ieiunitas ac siccitas a Platonicorum philosophandi ratione, qualis saeculo post Chr. quinto floruit, e contemplatione rerum humanarum ad superstitiones magorum et ad inania astrologorum somnia transcendente immane quantum discrepat. Quae sit auctoris de re domestica administranda sententia, paucis mihi liceat exponere.

Xenophontis quadamtenus sententiam secutus (Oec. VII, 3, 22 sq.) alia mulieris officia, alia mariti esse asserit; huius esse curare, quae *κατ' ἀγρὸν καὶ περὶ τὰς ἀγορὰς καὶ περὶ τὴν ἀστυπολίαν* sint, illius, quae sint munera *περὶ τὴν ταλασίαν καὶ σιτοπονίαν καὶ ὅλως τὰ κατοικίδια τῶν ἔργων.* Tantum autem abest, ut munera uxoris a mariti muneribus prorsus aliena sint, ut partes sine incommodo rei domesticae inter se mutari possint, quippe qua mutatione societatis vinculum etiam artius adstringatur. Nonne Xenophontis memoria animum nostrum subit, cum Hieroclem de *αὐτουργίᾳ* disputantem audimus[136]), quam nemini dedecori esse iudicat? Neque vero ab oeconomi

[134]) Orelli, opusc. Gr. vet. sent. vol. I p. 282 sq.

[135]) Cui sententiae, cum de rei familiaris cura libro *φιλοσοφουμένων* secundo Hierocles Suida s. v. *ἐμποδών* teste egisse videatur, non est, cur fidem et auctoritatem non adiungamus.

[136]) Consentanea Hierocli Porphyrius habet (ad Marcellam c. XXXV): *τὰ γὰρ πολλὰ ἄσκει αὐτουργεῖν· λιτὸν γὰρ καὶ εὔπορον αὐτουργία.*

Scilluntii sententia discrepat, quod, quamquam ipse non negat munera quaedam vili hominum generi destinata a persona ingenui viri aliena esse debere, tamen opinione praeiudicata adeo non ducitur, ut confiteatur, si quis virtutis specimina nihil dubii relinquentia et ab omni reprehensione vacua dederit, non esse, quod ullius negotii eum pudeat, quo exsequendo colligatio atque compages maritalis artior fiat. Neque uxorem, quae una cum famulis officiis et muneribus eis fungatur, quae in mulierem cadant, ullam concipere maculam, sed eo pulchriorem marito videri, quo magis navam et industriam operumque intra domum et extra faciendorum studiosam re praestiterit, liberrime profitetur (conf. Xen. Oec. X, 10 sq.). Dicendi denique ratio Hieroclea et argumentandi, ut paucis rem absolvam, ea est, ut nemini memoria Xenophontis non afferatur, quo nullum antiquitatis auctorem ardentiore studio vitam domesticam rusticamque amplexum esse pro explorato habeo.

Sed de his iam dicendi finis esto; quominus longius progrediamur, philosophiae remotioris seu potius theologiae aenigmatis et allegoriis mysteriorum instar refertae, qualis primis post Chr. n. saeculis agitabatur, indoles et natura ipsa nos impedit[137]).

Iam in eo est, ut disputationis de arte oeconomica institutae summam faciamus eaque, quae lucrati sumus, paucis repetamus. Qua in re hoc non sine fructu me demonstravisse spero fundamenta oeconomicae artis sophistas iecisse, Socratem, artis dialecticae principem, quid sit ars oeconomica, ratione perspexisse, Xenophontem Socratis non magis quam Cynicorum dogmatis initiatum vitaeque usu adiutum imaginem eius maxime dilucidam animo repraesentavisse, Aristotelem denique ad artis quasi formam in Politicis eam evexisse. Eos autem, qui singula consectando et colligendo post Xenophontem et Aristotelem

---

[137]) Qua de causa ea quoque praecepta percensere supersedeo, quae Ioannes Damascenus ex Nili episcopi scriptis excerpta operi suo Parallelorum sacrorum inseruit (Orelli op. Gr. vet. sent. I, 320 sq.), quippe quae a consilio huius disputationis alienissima sint.

de hac materia disputaverunt, adeo non suo iudicio stetisse arbitror, ut, licet discrepet inter eos in rebus parvulis ac levidensibus, non magis ex dogmatis Aristotelicis pendeant quam ex Oeconomico Xenophontis, praestantissimo illo, ut Schoemanni verbis (op. ac. III, 207) utar, de administratione domestica libello. Ut mihi concedendum sit hanc sententiam firmo talo stare, simul quam recte Philodemus de vit. lib. IX col. VII (p. 45 ed. Goettl.)[138]) de Xenophontis inter scriptores oeconomicos honore atque pretio iudicaverit, non sine veritatis specie mihi videor evicisse.

Haec de philosophorum Graecorum studiis oeconomicis dicenda putavi; quae si non solum nova sed etiam vera esse videbuntur, id mihi summum laboris praemium esto.

Scribebam Wernigerodae mense Decembri MDCCCXCV.

---

[138]) Cum Hartungio transl. praef. p. 11 equidem facio a Schoemanno l. c. p. 228 dissidente, qui locum variis et improbabilibus modis, quantum ego perspicio, temptatum hunc in modum restituit: *ἅπαντες γὰρ ὥσπερ οὐδὲν μετηλλάχασιν, ὁπότε οὐδὲ Θεόφραστος ἀποψηφίζεται, ἐν ὀλίγοις διαλλάττει,* quae verba sic transferenda esse censeo: omnes enim ut nihil mutaverunt, cum ne Theophrastus quidem (Xenophontis) sententiam suffragio suo antiquaverit, ita in paucis dissensio exstat.

Impressum typis A. W. Hayn's Erben, Potsdam.

Vita.

Maximilianus Hodermann natus sum a. d. XIV. Kal. April. a. h. s. LIX Waltershusiae, in oppido haud procul a Gotha sito, patre Eduardo mercatore, matre Antonia e gente Hofmann, quos benignos parentes praematura morte mihi ereptos maereo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus per novem annos gymnasium Gothanum, cui nomen est Ernestinum, frequentavi. Maturitatis testimonium assecutus vere a. h. s. LXXVIII Lipsiam petii et civibus academicis adscriptus per ter sex menses praecipue studiis philologicis operam dedi. Inde ab auctumno a. h. s. LXXVIII stipendia annua in cohorte centesima septima feci. Audivi viros doctissimos Biedermann, Goering, Lange, Lipsius, Ribbeck. Auctumno a. h. s. LXXIX Gottingam migravi, ubi per quinque semestria praeceptoribus usus sum viris clarissimis Baumann, Bechtel, Dilthey, Fick, Goedeke, de Leutsch, Lotze, Guil. Mueller, Sauppe, Volquardsen. Seminarii regii philologorum per duo semestria sodalis fui ordinarius.

Examine pro facultate docendi a. h. s. LXXXIII probatus primum in gymnasio Nordhusano anni spatium, deinde Gorlicii per undecim annos et dimidium magistri munere functus sum, denique ineunte auctumno a. h. s. XCV adscriptus sum collegio magistrorum gymnasii Wernigerodani.
